



tetes Vármegye akaratáival, a' Kőz - Jóra edgyütt mun-  
kálódni igér.

Nem fogja Nagyságod érdemeit kifébbíteni a' Törvénnyel, és  
a' Tekéntes Vármegye Tetzéshex való engedelmeség,  
mert ugy segíthet akárki is maga tulajdonán, ha fegit a'  
Közönségen. Tegyünk felre minden részre bapláll, Tiszt-  
ség, és erőszak kérvánál, ugy lásunk az Hazának igaz  
Tisztjei, és Fiat, és ugy léfren boldog az az Uralko-  
dás, boldog lászen közelebbről a Vármegye azzal, és ból-  
dog Nagyságod, ha az egymásba való hiedelemek ágyút  
ma kezdi Nagyságod meg-véni, ha el-hitheheti Nagy-  
ságod a Kézönséggel, hogy inkább szereti a' szabadság  
öltözéért meghalni, mint a' nagyobb méltságra készül-  
tett ülcsékért elni.

Meg-fogja Nagyságodhoz a' Tekéntes Vármegye való-  
val bizonyítani, mint szentí azt az EISI-Járót, a' kinék  
Főrégió egeségét, Bitsületit, és Boldogságát költsónözh-  
eti, meltoztaffék Nagyságod a' kormányhoz továbbra  
nyumi, mi engetünk.

ASSERTIONES  
THEOLOGICAE, ET  
SCRIPTURISTICAE,

QUAS CORAM  
EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO, AC REVEREN-  
DISSIMO DOMINO DOMINO COMITE

EPISCOPO  
TRANSILVANIAE,

UNIVERSOQUE VENERAB. CLERI TRANSSILVANEN. CONVENTU

EX PRAELECTIONIBUS

A.R.D. IGNATII WINKLER THEOLOGIAE DOGMATI-  
CAE PROFESSORIS ,

A.R.D. JOANNIS HILBERT SACRAE SCRIPTURAE PRO-  
FESSORIS ,

A.R.D. PETRI MARTONFI THEOLOGIAE MORALIS et  
SS. CANONUM PROFESSORIS

A. CAROLINAE IN SCHOLIS EPISCOPALIBUS

*Concessit publice propugnandas suscepere*  
REVERENDI, NOBILES, ac DOCTISSIMI DOMINI

ANDREAS FEJÉR, JOSEPHUS HELBLING, et  
ELIAS KÁDÁR.

Theologiae in 3tium et 2dum annum Auditores, nec non  
Seminarii Incarnatae sapientiae nuncupati Alumni  
*Dioecesis Transsilvanensis.*

---

ANNO MDCCXCVIII DIE XXVI. M. APRILIS.

---

ALBO CAROLINAE TYPIS EPISCOPALIBUS.

Reverendissimi Domini Canonici, et  
Admodum Reverendi Domini Parochi!

*Quae in venerando, nobilissimoque confluxu VESTRO propugnanda suscepimus Theologicarum Disciplinarum, sacrarumque scripturarum placita, eo consilio nomini VESTRO inscribimus, ut simul ejus, quem primo hoc senestri in sanctioribus studiis fecimus, progressus, simul nostrae erga VOS observantiae monumentum aliquod ederemus. Quod ut et VOBIS jucundius, et in se ipso perennius fore, e largissima, quam grati veneramur, Excellentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Comitis Episcopi, Patris, ac Patroni nostri Gratiissimi Benignissimi munificentia hanc Caroli Solfi lucubrationem multorum ore celebratam, quae Minister Aegrotantiuin inscribitur, una cum illa vere Pastorali, et ardantis pro omnium salute zeli plena Ejusdem Excellentissimi Domini Praesulis Instructione ante septennium ad VOS edita, qua ad sollicitam, zeloque fervidam infirmorum, cum primis moribundorum pro felici morte provisionem*

VOS tanto ardenter excitat, instruit, exhortatur,  
quo hoc officium muneris Vestri fere praecipuum  
est, et quanto propior ad beatam aeternitatem ma-  
nuductio, tanto etiam periculosior, quod, si error  
aliquis, aut neglectus in ea accidat, aeternus sit,  
nec amplius emendari, vel suppleri possit; thesibus  
nostris adnectendam, ac VOBIS, qui indefessi  
aegrotantium Ministri estis, muneris loco offeren-  
dam censuimus. Vestra causa is liber primum elu-  
cubratus est, Vestro deinde de coetu selectorum  
labore ex Italo partim in Latinum, partim in  
Hungaricum sermonem transpositus, Vestri gra-  
tia typis recusus, Vestris usibus destinatus, ac  
proinde jure quodam proprio nominibus Vestris nun-  
cupatus. Excipite igitur digna Vobis humanitate  
hoc qualemque nostrae erga Vos venerationis ve-  
ctigal, et testimonium, neque tam quid dignitati,  
meritisque Vestris conveniat, quam quid a nobis  
praestari possit, pensate. Quod reliquum est, ut  
nos, patrocinio Vestro dignemini, omni contentione  
a, VOBIS postulamus.

RRmarum, et

AA. RR. DVestrarum.

Humillimi servi.  
Defendentes.



## ASSERTIONES THEOLOGICAE

*Ex Tractatu de Deo Creatore, et ex parte Tractatus de Deo Redemptore.*

### I.



Irabilem hanc rerum visibilium universitatem ex nihilo productam fuisse non est tantum opinio Philosophorum, aut Theologorum, sed dogma inconcussum universalis Ecclesiae. Causa, quae Deum ad opus creationis impelleret, nulla alia fuit, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam imperiret.

II. Mundus ab aeterno creatus non fuit, ut veteres quidam Philosophi commenti sunt, sed omnia fuerunt a Deo condita in tempore.

III. Deus providentia sua totum mundum gubernat, omniasque in eo entia etiam abjectissima, ac minima ad fines sapientiae suae cognitos dirigit.

### IV.

IV. Angelos existere est veritas ad fidem pertinens; sed esse eos substantias suapte natura spirituales, omnis omnino materiae expertes non aequa est de fide.

V. Etsi autem mortales appellari possint multimo-de, sunt tamen in perpetuum extituri, imo natura sua immortales.

VI. Futura contingentia, ac libera ab Angelis naturali scientia certo praevideri, aut praenunciari non possunt, neque innotescunt eis secretae cordium cogitationes.

VII. Angelii probabilius ab ortus sui initio gratia sanctificante exornati fuere: haec tamen sententia absque ullo fidei detimento negari potest. Plurimi autem eorum a creatore suo defecerunt, admissi, quod primum Angelorum apostatarum crimen erat, superbiae peccato.

VIII. Hi statim post peccatum ex altissimis sedibus deturbati, et in ima tartara praecipitati damnationis suae poenam jam num patiuntur.

IX. Ubi perpetua, et nullum unquam finem habitura sunt daemonum, aliorumque reproborum supplicia.

X. Inextinguibilis ille inferni ignis materialis est, et corporeus; quod tamen de fide non est.

XI. In Sanctorum Angelorum Hierachia novem ordines sunt dispositi, atque ex unoquoque ordine Angeli interdum ad nos mittuntur.

XII. Deputatur Angelus custos a Deo omnibus fidelibus, ac probabiliter ceteris etiam hominibus.

XIII. Certissimum dogma est, animas humanas non extisse ante mundum corporeum, neque in terrenum carcerem ob perpetratum in superiori vita crimen detrusas esse; neque propagari eas ex semine corporali. Sed neque semine tradu-

traducuntur spirituali; quapropter tenenda est ea sententia, quae statuit tunc animas creari, dum corporibus uniuntur, quamquam articulis fidei adnumerari non potest.

XIV. Adam cum admirabili iustitiae originalis dono productus fuit; quod tamen ab Ecclesia definitum non est.

XV. Primigenius ille innocentiae status praeter gratiam sanctificantem illud quoque donum importabat, ut homo, non quidem naturae ipsius vi, sed divino beneficio, quoad corpus quoque immortalis foret.

XVI. At primi universorum hominum parentes ab obedientia Dei desciverunt; in qua eorum transgressione plurium peccatorum reperitur complexio, sed est primum, et radix ceterorum superbia.

XVII. Peccando autem primus humani generis sator nos omnes miseram suam progeniem in cumulum misericordiarum dejicit. Mors quippe, et multiplex calamitatum genus non sunt primordia hominis naturalia, sed peccati consecaria; unde homo, nisi peccasset, non erat moriturus.

XVIII. Neque ignorantia, qua approbamus falsa pro veris, neque tanta proclivitas ad malum, et difficultas ad bonum, cui in statu naturae corruptae obnoxii sumus, provenit ex constitutione primaeva naturae innocentis, sed profluit ab inobedientia primi hominis. Neque turbida, quae in nobis regnat, concupiscentia est natura instituti hominis, sed poena damnati.

XIX. Originale peccatum ab Adamo in omnes ipsius posteros propagari, contra Pelagianos in Socinianis redivivos Sacrae utriusque foederis paginae demonstrant. Traditionum testimonii firmata evincit, congruae rationes persuadent; quod paterni chyrographi debitum pertransit etiam in filios fidelium.

**XX.** Parvuli absque regenerationis Sacramento decedentes non tantum poena damni puniuntur, ex qua ipsa dolorem eos concipere necesse est; sed insuper plectuntur etiam poena sensus, hoc est, ignis infernalis cruciatu, et si in comparatione adulorum mitissimo. Quare commentitia est naturalis illa beatitudo, quam nonnulli benigniores pollicentur infantibus ante usum rationis in peccato originali extinctis.

**XXI.** Misericordissimus Deus in illa damnatione humani generis, quae statim peccatum consecuta est, ostendit etiam spem redemptionis, dum facta liberatoris missione multis hominibus Salvatoris expectationem commovit: sed majorem sui consilii significationem iis potissimum hominibus dedit, quibus voluit singularem benevolentiam praeflare, ut Abrahæ, Isaac, Jacob. Constituta autem Judæorum religione venturum Salvatorem, et mutae res significarunt: et Prophetæ, quorum mens caelesti lumine illustrata fuit, ita vivis eum coloribus depinxerunt, ejusque mysteria, ornum, vitam, passionem, mortem, resurrectionem adeo palam populo praenunciarunt, ut non tam de futuris vaticinari, quam rerum praeteritarum historiam contexere viderentur, et, si futuri et praeteriti temporis tollatur diversitas, nihil jam inter Prophetarum praedicta, et Apostolorum praedicationem interesse videatur.

**XXII.** Advenit itaque in plenitudine temporum Mæsias Prophetarum oraculis praenunciatus, Judæorumque pervicacia retunditur ex vaticiniis Jacobi, Danielis, Aggæi, et Malachiae. Sed et praesens status exilii, dispersionis, excaecationis, et contemptus Judæorum manifestum facit, reprobatum ab iis fuisse Messiam, eumque jam advenisse; id quod ostendit etiam gentium ad veri Dei cultum conversio.

**XXIII.**

XXIII. Hunc autem Messiam in lege promissum non aliam esse, quam Jesum Nazarenum, evincunt circumstantiae in Messiae nativitate a Prophetis praedictae, et reliqui characteres ejusdem vitam, mortem, et resurrectionem respicientes, ac in Iesu Nazareno adimpti.

XXIV. Illustre etiam est, ac ad convincendos Iudeos opportunum honorificentissimum Josephi Flavii de Iesu Nazareno testimonium Lib. 18. antiquitatum cap. 3. quod genuinum est, et authenticum.

XXV. Stupendum Incarnationis Verbi Divini mysterium non tantum nullam involvit internam pugnam, et contradictionem, sed et conveniens erat titulo multiplici; non tamen sive ex hypothesi *creationis mundi*, sive posito lapsu generis humani, tanto minus absolute necessarium fuisse dici potest.

---

## POSITIONES SCRIPTURISTICAE.

e

### *Prolegomenis in quatuor Evangelia.*

I. **C**um lex vetus nihil ad perfectum adduceret, Hebr. 7. 19. Umbram habens futurorum bonorum, Hebr. 10. 1. inter omnes divinas authoritates, quae S. Litteris continentur Evangelium merito excellit; quot enim lex, et Prophetae futurum praenunciaverunt, hoc redditum, atque completum in Evangelio demonstratur. S. Aug. L. 1. de consens. Evang. c. 1. Historiam quippe exhibet vi-

tae, mirabilium operum, et doctrinae salutaris Iesu Christi, qui finis legis est. Rom. 10. 4. Libris quatuor authenticis, et genuinis eorum operibus, quorum nominibus inscribuntur, Mathaei videlicet, Marci, Lucae, et Joannis.

II Etsi vero autographa horum librorum non super sint amplius, in apographa autem partim injuria temporum, partim librariorum oscitania, vel infiditia irreperserint menda; substantiali tamen depravatione vitiati non sunt, eumque prae stant usum, ut Res fidei, morumque ex illis rite desummi valeant.

III Quod quidem non tantum de textu vulgatae versionis latinae ( quam seniori longe sensa authenticam declaravit Concilium Trident.) sed etiam originario Graeco intelligentum esse, vel ex eo patere videtur, quod versio vulgata nonnisi a fonte suum obtineat pondus, quidquid Bellarminus L. 2. De verbo Dei de practensa Graeci textus, corruptione argutetur.

IV. Porro, quium authores Evangeliorum notitia rerum, quas scribunt, animique candore non vulgari praediti, apta, et cohaerentia recenseant, idcirco testes sint idonei, omnique exceptione majores ( Haec enim mendaciorum natura, ut cohaerere non possint. Lactant. L. 5. Instit. divin. c. 5.) vera esse, quae Litteris complexi sunt, temerario ausu in dubium vocaretur.

V. Ex his Mattheus apud Hebraeos propria eorum lingua ( eo temporis usu consecrata ) conscriptum edidit Evangelium. S. Iraen. apud Euseb. L. 5. Hist. Eccl. c. 10. quod, quamvis oblivioni tandem traditum perierit, Graeca in versione primitivae Ecclesiae judicio probata, omne pretium habet.

VI. Cumque solus hebreo scripsisse perhibetur eloquio caeteri  
Graeco. S. Aug. L. 1. de consens. Evang. c. 2. latinum S. Mar-  
ci autographum, quod sibi obtigisse Veneti, et cuius fragmen-  
tum Pragenses se possidere autumabant, pondere vacuum, ar-  
gumento non est, S. Marcum latino usum fuisse idiomate.

---

## EX HISTORIA EVANGELICA

Quatuor Libris harmonice digesta

de

Ortu Joannis Bapt. Jesu Christi, ejusque vita  
privata usque ad Baptismum.

VII **Q**uoniam vaticinia Prophetarum portendebant, pra-  
etatum Angelum Malach 3. 1. qui viam pararet Christo Mes-  
siae Isai. 40. 3. Historiam Evangelicam ab ortu hujus angeli  
cum D. Luca ordiri necessum est. Joannes is erat Luc. 1. 13.  
illustri Sacerdotum genere natus; patre videlicet Zacharia de-  
vice Abia Sacerdote, non tamen summo Pontifice. Luc. 1.  
8. et 9.

XIII Qui cum anceps dissideret angeli, filium in utero  
Matris Spiritu S. replendum promittentis, nuntio, accepit sup-  
plicum taciturnitatis merito infidelitatis. S. Aug. Hom. 44.

XIX Sexto deinceps mense idem Angelus Mariae Vir-  
gini conjugali vinculo nondum illigatae Math. 1. 18. Luc.

I. 26. concepturam se de Spiritu S. qui salvum faceret populum suum a peccatis eorum, adnuntiat.

X. Redux e montanis cunctanti Josepho, quod ignoraret, factum esse Virgini secundum verbum Angeli, hujus monitu Math. I. 20. vero jungitur Matrimonio ita tamen, ut non deficeret virginitatis Magistra S. Ambros. L. de Instit. Virgin. c. 6. Sed integro Virginitatis candore semper intacta permaneret. S. Aug. de cath. rud.

XI. Edicto dein Caesari Augusti ut describeretur universus orbis Luc. 2. 1. romano Imperio obnoxius, urgente, in Bethlehem cum Conjuge suo profecta, genuit tantorum votis, precibusque expeditum Servatorem Christum, de regia Davidis progenie, ut praeter complura scripturae testimonia demonstrat Math. genealogia c. I. 1 -- 16

XII. In qua non tantum v. 8. Joram inter et Ossiam tres praetermissae sunt generationes, Ochoziae videlicet Joae, et Amasiae 4. Reg. 10. 2. Paral. 3. Sed etiam duo distingendi veniunt Iechoniae, alter v. 11. a Jofia genitus, alter v. 12. pater Salathiel.

XIII. Ab hac tabula geneologica multum diversam seriem generationum ad Davidem usque exhibit D. Lucas c. 3. 23-38. ita ut Josepho viro Mariae tribuat Patrem Heli, quem Mathaeus suisse docet Jacob, progenitores rursus ex Nathan altero Davidis Filio descendentes, a quibus diversos recenset Matthaeus de genere Salomonis. Diversitatis hujus ad concordiam revocandae methodus antiquitatis, Patrumque suffragio innixa probabilior ea est, quam Julius african. Epist. ad Aristid. apud Euseb. H. E. L. I. c. 7. suppeditat docens: Lucam texere seriem Patrum Josephi legalium, Mathaeum vero Patrum naturalium.

XIV. In Lucae porro genealogia Cainanem Sale inter, et Arphaxad manu aliena insertum esse, argumenta critica invicem collata satis luculentiter evincere videntur.

XV. Mox novum Regem adoraturi veniant Magi insolita quadam Luce admoniti Math. 2. 1-12. antequam impletentur dies purgationis Mariae Luc. 2. 22.

XVI. Post horum discessum Christus in Templo presentatur secundum legem Mosis Luc. 2. 23, ubi a Simeone Sacerdote, et Anna Prophetissa Spiritu S. plenis Messias praedicatur Luc. 22. 25-38. Ut autem Herodis crudelitati subducatur, in Aegyptum transfertur. Math. 2. 13-15. Herode paulo post in pueros saeviente ibid. v. 16. Defuncto Herode in Nazareth reductus est Math. 2. 19-23. Luc. 2. 39. Factusque annorum duodecim Hierosolymis perditus, mox tamen in Templo inventus, subditus erat parentibus, proficiens sapientia, aetate, et gratia apud Deum, et homines. Luc. 2. 40-52.

## EX THEOLOGIA DOGMATICO PRACTICA ET SACRIS CANONIBUS.

### *De Sacramento Extremae Unctionis.*

I. **U**nctio sacra, quae in Ecclesia Dei extremae nomen obtinet, est verum novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum, et a S. Jacobo Apostolo promulgatum.

II. Ab Eodem Apostolo simul accepimus Sacramenti hujus materiam esse oleum, olivarum usque, quod simplex,

et in Ecclesia Latina Episcopali benedictione consecratum sit oportet. Non secus et *formam*, quae a multis jam saeculis ratione deprecativa recte adhibetur.

III. Ministerum vero Sacerdotem. Hoc tamen ministerium de Lege ad munera parochialia pertinet.

IV. Praeterea unctionem hanc infirmis adhibendam, in medelam scilicet mentis, et corporis; illis praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur.

V. Quapropter merito Concilium Tridentinum, nulla ratione audiendos edixit eos, qui S. hanc Unctionem a Fidelibus citra peccatum contemni posse adfirmarent.

### *De Sacramento ordinis.*

I. Clericos a Laicis non Ecclesiastico tantum sed etiam Divino jure quoad statum distare, non minus certum videtur, quam ordinationem sacram esse verum Novae Legis Sacramentum; per quod illi ab his ita separantur, ut ad Hierarchiam Ecclesiasticam, graduum videlicet officiis distinctorum quidem, certa tamen Lege subordinatorum, concinnum ad ordinem provecti, docentium, pascentium, ac regentium munere in Ecclesia persungantur.

II. Jam vero, ut Sacramentum hoc suo compleatur effectu, Sacralis impositio manum Episcopi (cujuscunque, dummodo consecrati) velut essentialis materia, et oratio illi conjuncta velut forma, omissa non est. Episcopi, dicimus; nam jure divino, et vi suae ordinationis Sacrorum ordinum Minister solus Episcopus habetur. Minores tamen ordines indulgente Apostolica Sede a simplici quoque Presbytero licite conferri non inficiamur.

III. Caeterum et Episcopus is duntaxat licite confert ordines, qui proprius est ordinandi, ratione aut originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis: cuius item dimissorias a proprio Episcopo, nondum licet consecrato, vel ab ejus Vicario, vel sede ultra integrum annum vacante a capitulo Cathedrali datas, perceperit.

IV. Subjectum porro, quod valide suscipiat hoc Sacramentum solus homo, ut ajunt, viator, et baptisatus est, ni absolute reluctetur. Mulieres autem ejus prorsus incapaces sunt. Sed et in viris, ut licite peragatur ordinatio, nonnulla requiruntur: uti vocatio quaedam divina, morum integritas, aetas, interstitia etc. Ordinatus per saltum, ut a suscepiti ordinis exercitio, etiam ante sententiam Episcopi sese coerceat, consultius est.

V. Innotescunt ista medio triplicis scrutinii ordinacionibus praemittendi: namque in eorum secundo omnia impedimenta sua pandenda forent ab ordinando: secus alienus a Canone, seu prout junior aetas loquitur, irregularis fieret.

VI. Atqui irregularitas, sive ex defectu, sive ex delicto nascatur, omni ope vitanda merito fadetur: tum quia impedit illa, quominus quis ordinetur, aut in suscepito Ministeri ordine, nocebitque conscio, quoad tollatur per dispensationem ab Episcopo, aut plane a summo Pontifice imputrandam, nisi fors, uti ex quodam aetatis defectu contracta per sese cesset:

VII. Tum quia per Sacramentum ordinis non nisi digni suscipientibus confertur gratia Sanctificans, utut character quidam spiritualis imprimatur ea cum sequela; ut qui Sacerdos factus est, Laicus deinceps fieri nequeat.

VIII. Septem in Ecclesia Latina censentur gradus ordinum, quos inter Episcopatus apex, et plenitudo Sacerdotii verum Sacramentum est, quo Episcopus in hierarchia ad sacri principatus fastigium extollitur, cum videlicet saltem unus Episcopi manum Sacramentali impositione velut materia Sacramenti, et oratione velut forma consecratus fuerit.

IX. Sacri dein hujus ordinis subjectum esse Presbyterum communis tenet sententia: at non solum praedefinatum, ut quibusdam placuit, quamvis optandum hoc fore ultiro confiteamor, ne unquam eligentium error immeritum provehat. Verum unde praerogativa in electionibus sacrorum Ministrorum, ab omni prorsus eximens deceptione? Praesulem certe, aut Clerus eligit cum Populo, sicut olim: sed ad Populum divino jure non pertinet illa electio: aut nominat saecularis Princeps, ut apud nos, at hic etiam eligendi modus promanat solum ex jure patronatus Regii: aut demum juxta commune jus capitula; at quoties decepta horum quoque vota?

X. Episcopatu*m* sacer Presbyterorum ordo proximus est, verum quidem Sacramentum habens materiae Loco secundam manum Episcopaliū impositionem, formam vero preces illi connexas: illi tamen quoad honorem, et jurisdictionem subordinatus. Quem excipit Sacer Diaconorum gradus verum itidem Sacramentum, quali septem primos Diaconos ad Sacrae potissimum mensae Ministerium per impositionem Apostolicarum manum, et preces, non absque divino instinctu segregatos, Apostolorum acta declarant.

XI. Hos sequuntur: Subdiaconatus aucto Christianorum numero ab Ecclesia institutus, eaque propter Sacramenti ratione destitutus, et quatuor minores ordines, ab initio Ecclesiae noti. Trid. ff. 23. c. 2.

XII.

XII. At quod praecipuum est, hoc in statu Clerici, velut forma facti gregis, si sequantur doctrinam e Legum Ecclesiasticarum praeceptionibus haustam: de vita, et honestate Clericorum, cui plurimum addi per abstinentiam a justis etiam connubii, et si divino jure non praeceptam, et a saecularibus negotiis, hactenus judicatum est, suis privilegiis, quae partim ab Ecclesia; partim a Principibus consecuti sunt, minus digni juste censebuntur.

### *De Matrimonio*

I. Essentia Matrimonii non videtur consistere in usu, seu carnali copula: sed potius (spectatum in fieri) in mutua pactione, qua partes individuam vitae societatem sibi invicem spondent: spectatum autem in facto esse, consistit in vinculo, quod ex mutua illa virum inter, et mulierem pactione resultat.

II. Matrimonium nec in Lege naturae, nec in Lege scripta Veteri fuit verum Sacramentum:

III. At in Evangelica Lege verum est, ac proprium Sacramentum a Christo D. institutum.

IV. Probabilior videtur sententia, quae pro ministro matrimonii, prout Sacramentum est, Sacerdotem adsignat.

V. Materia Sacramenti Matrimonii sunt actus contrahentium, formâ vero sunt verba, quibus Sacerdos contractum hunc ratihabendo, eidem benedicit.

VI. Christus Dominus revocato ad primaevam originem matrimonio simultaneam polygamiam abrogavit.

VII. Matrimonium non videtur stricte praeceptum jure naturali, at procul dubio praeceptum est Lege Divina, et quidem ab initio ut contractus indissolubilis.

VIII. Quapropter vinculum conjugale, nec per adulterium dissolvitur.

O. A. M. D. G.

IGNATIVS, DEI ET APO-  
STOLICAE SEDIS GRATIA MA-  
GNI PRINCIPATVS TRANSYLVANIAE EPI-  
SCOPVS E COMITIBVS DE BATTHYÁN, PERPE-  
TVVS IN NÉMETH-UVÁR, INCLYTI COMITATVS  
CASTRIFERREI PERPETVVS COMES, SACRATISSI-  
MAE CAESAREAE, ET REGIO-APOSTOLICAE MA-  
IESTATIS STATVS CONSILIARIUS ACTUALIS  
INTIMVS &c. &c.

*Convolutio*

*Cibinica*

Omnibus quidem debitores facti sumus, vt omnes Christo lucrificiamus; illi tamen praecipuo quodam iure suo nostram sibi vindicant solicitudinem, qui opera nostra cum primis indigent; non est autem, ita inquit Ecclesiastes c. 8. v. 8. in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. Haec est dies Domini, vt ait Apostolus gentium 1. Thess. 5. v. 2. quae sicut fur de nocte veniet, vt tollat peccatorem de medio iustorum, dies Domini, dies magna, et amara valde. Hoc est illud tempus malum, de cuius aduentu nos praemonet Ecclesiastes cap. 9. v. 12. inquiens: nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aues laqueo comprebenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis exemplo superuenerit. Si causam, et originem mortis spectemus, non potest non esse amarum tempus illius; mors quippe, vt ait S. Augustinus Libro de Praedestinatione, et gratia, c. 3. non naturae est conditio, sed poena peccati; per peccatum enim intravit mors in mundum, muliere initium factum est peccati, ita Eccl. c. 25. et per illam omnes morimur. Hoc protoparentum nostrorum peccatum, sicut uniuersam generis humani massam peccati conspersit foeditate, ita illam amara obstrinxit moriendo necessitate, germen pec-

)

cati

eati, quum mors sit, non potest non esse amarum, quod a tam venenato pullulauit radice. Si ad haec mole delictorum premimur, si multiplicata sunt peccata nostra super capillos capitum nostri, terribile vae intonat nobis Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici c. 41. v. II. *vae vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi* - - - *Si mortui fueritis, in maleditione erit pars vestra.*

Sed etsi nullius peccati nobis consciit simus, quia tamen in eo iustificati non sumus, quum homo nesciat, an amore vel odio dignus sit, an non terribilis, et trepidanda est hora, a qua pendet aeternitas. Sane fieri videmus, quod S. Gregorius Libr. 24. Moralium scripsit: *in morte tanto timor fit acrior, quanto retributio vicinior, et quanto vicinus iudicium tangitur, tanto vehementius formidatur.* Adiiciamus pericula, quae ab insidiis diaboli profluunt: tunc ad nos descendit diabolus, ut monet S. Joannes apoc. c. 12. v. 12. *habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* Haec quum ita se habeant, cum S. Cyrillo de exitu animae exclamare cogimur: *quis terror, quis tremor, quod certamen, quae vis animam manet, a corpore secedentem.*

Lugubre itaque est videre, quomodo animarum nonnulli curatores terribilis huius horae immemores, cum morte luctantibus adesse negligant, contenti, si obiter, et soepe nimis sero Sacraenta administrauerunt, dein autem aegrotos, terroribus percusso, artibus daemonis circumuentos destituunt. Miserandam profecto tam morientium, quam huiusmodi Sacerdotum conditionem, ab horum enim manibus repetet Dominus animas illorum, quas ipsi aeterno iudici aeternum saluandas sistere, et offerre deberent. Si verum est illud: *non pauiisti, occidisti;* si homicidii reus est, quisquis fame tabescentem non pauit; mundine sunt a sanguine illorum Sacerdotes, quos non adiuuerunt, ut vincerent? Fratres et Filii dilectissimi! cum lachrymis ingemiscimus vobis: sicut pisces capiuntur hamo, sicut aues laqueo

comprehenduntur, sic capiuntur homines in die mortis suae.  
Dilatauit infernus animam suam.

Multiplex animarum ruina, grauissimum certe periculum, quod ex tempore quotundam, ut praemissum est, imminet, Nos identidem extimulauit, ut vos Filii dilectissimi ad supprias moribundis ferendas excitaremus, vobisque currentibus calcar adderemus. Praeluxerunt nobis exemplo suo Sanctus Carolus Borromaeus, Cardinalis Palaeotti, et vetustioribus, auctor librorum de visitatione, et cura infirmorum inter opera S. Augustini, incertus quidem, vetustus tamen, et merito suspiciendus. E recentioribus, Cardinalis Eboracensis, cuius Synodus Tusculana in omnium manibus versatur, ut innumeros alios Ecclesiarum Antistites omittamus, qui ea de re in Synodis suis praeclaras prorsus leges sanxerunt.

Non est nobis silentio praetereundus Cardinalis Boncompagnius, qui in Synodo Bononiensi anni 1690. (a) sollicite hortabatur Parochos, ut de libris ad praestandum moribundis auxilium idoneis sibi prospicerent. Pollicitus etiam fuerat supra laudatus Cardinalis Palaeotti (b) curatrum se se, ut huiusmodi libri Parochis praesto essent. Vtriusque laudatissimi Antistitis votum explere satagentes plium opus R. P. Caroli Solfi, cui titulus: Minister infirmorum (c) ex Italico in Latinum traduci fecimus opera Honorabilis Marcelli Csiki; orationes autem in vulgare etiam idioma verti curauimus opera Honorabilis Stephani Mihalcz.

(a) Lib. 2. c. 7. pag. 43., Libros itidem habeat Parochus de auxilio moribundis ferendo, quibus consulat, prout ex ante actas vitae moribus, necessitas, discretio, et prudentia suadebunt.

(b) In Bononiensi Sacerdotali.

(c) Il. Ministro degli infermi per aiuto alla buona morte dal Padre Carlo Solfi de Chierici Regolari Ministri degli infermi. in Venetia MDCCCLIII.

Horum, quos Ministerii nostri cooperatores habemus, industriam commendandam duximus, ut pro merito suo laus eorum in ore Ecclesiarum versetur, et vos, Filii dilectissimi ad similes labores, pro animarum salute exantlandos non tam proeconio, quam fratrum vestrorum excitemini exemplo.

Plura quidem nouimus eiusmodi extare opuscula (a) quae cum fructu legi possunt, et volui optamus; existimavimus tamen, quod opusculum hoc sua etiam se se commendabit nouitate, futurumque ut nostrae testimonio auctoritatis accedente, omnium inferatur manibus, atque ideo salutaribus opusculi huius monitis nostra etiam adiungimus: Egregium etiam illud S. Augustini (Libro III. de Trinitate in Prologo) dictum nos commouit inquietis: „Et „quae differi posse arbitror, differenda suscepi, vt si alia „non sunt huiusmodi scripta, sit, quod habeant, et elegant, „qui valuerint, et voluerint; si autem iam sunt, tanto fa- „cilius inueniantur, quanto talia plura esse potuerint.”,

### §. I. De Visitatione Infirmorum.

I<sup>mo</sup>. Ostendimus vobis tum morientium pericula, tum vestram perniciem, nisi diurna, nocturnaque opera aegrotantes ad resistendum diabolo, et temptationibus eius adiuvueritis. Obscuramus itaque vos in Domino Jesu, ut in quantum fieri potest, ad extremum usque halitum moribundis assistatis, nullusque in vestra Parochia, non solum absque Sacramentis, sed nec absque recommendatione animae ex hac vita migret. Si pretium cuiusvis animae, si pericula, si Pastoralis vestri munera officia cordi haberitis, non dubitamus vos fore assiduos.

2d<sup>o</sup>.

(a) P. Recupitus de bona morte. Bellarminus. P. Callemanus S. Genouefae Religiosus de praeparatione ad mortem. P. Nepueu de eadem. Drexelius in Prodromo mortis. Anonymi Amicus usque ad mortem.

2<sup>do</sup>. Quia autem aliae quoque, et illae multiplices sunt ministerii vestri partes, ut adeo continuo moribundorum lectulo assidere nequeatis, crebro adminus quemuis aegrotum visitetis, familiaribus, et domesticis inculcetis, ut si peius valuerit aeger, vel transitus imminere videatur, vos aduocent, praesertim vero ipsis aegrotis paterna cum teneritudine significetis promptitudinem ad ipsos, quoties desiderauerint, accurendi.

3<sup>to</sup>. Non putamus vos ignorare vehemens illud diaboli studium, quo admittitur, ut aegrotos sub fallaci spe recuperandae valetudinis Sacramentorum praesidio, et assistentis Sacerdotis auxilio destituat, atque ideo vxorem, proles, amicos, familiares, et domesticos ea irretire solet arte, ut existiment necdum supremum adesse tempus, tardius aduocandum esse Sacerdotem. Ideo omni contentione agetis cum Medicis, et Chirurgis, ut periculose decumbentem, etsi multa depellendi morbi supersit spes, ad usum Sacramentorum excitent, mortem instantem siue infirmo ipsis, siue domesticis denuncient, quo vos in tempore adesse valeatis.

4<sup>to</sup>. Efficacius remedium malo huic parabitur, si vos ad infirmos, etiam non grauiter decumbentes acceperitis, quod ut faciatis impigre, vos maiorem in modum hortamur. Sicut enim infirmos visitare, consolari, ad spem coelestis vitae erigere, praeclarum misericordiae opus est, pro quo immarcescibilem in coelis gloriae coronam habebitis, ita ad ministerium vestrum id maxime pertinet. Patres enim estis plebium vobis commissarum; quae autem teneritudo paterni animi haec est filios aegros non visitare? Ex hac solitudine vestra discent fideles, quantopere vobis illorum salus curae, cordique sit.

5<sup>to</sup>. Eam in rem pie olim (vti inquit S. Carolus Borromaeus) (a) in Concilio Agathensi statutum fuerat, ut Sac-

cerdotes quotidie post celebratam Missam aegrotos Parochiae suae visitent, quam constitutionem exemplo laudati S. Caroli (a) insistentes hoc Decreto nostro innouamus, adiungentes etiam id nos vehementer cupere, ut quauis hebdomada vna, alteraque vice ad filiales excurratis eum in finem.

6to. Exemplo optimi Saluatoris, qui ad Filium Reguli venire noluit, et ad Centurionem non vocatus accessit, ducti monemus vos, vt absque omni conditionis discriminis quousquis aegrotos pauperes, aut diuites pari prosequamini charitatis officio, neque in eo carni, aut sanguini obtemperetis.

7mo. Quia itaque ad aegrotas mulieres quoque vobis eundum erit, monemus vos verbis S. Caroli: „ad aegrotas „etiam mulieres accedat, sed sibi comitem adiungere curabit „virum, vel Ecclesiasticum, vel Secularem sanctae charitatis „operibus deditum, et omnino nunquam erit in cubiculo „solus, et quum necessum fuerit ob poenitentiae Sacramen- „tum ministrandum, patente tamen ostio id praestabit. „Si tamen temporis ratio admiserit, ne videlicet externus aer intempestive immissus discrimen adferat mortis.

8vo. Ut autem vos per domos in exquirendis infirmis oberrare non oporteat, ad solicitudinem vestram pertinebit in singulis plateis habere virum Laicum, qui vos de aegrotatione vniuersitatis admoneat, etiamsi, vt praemissum est, admodum grauis non sit. Hac ratione fiet, vt tempus malum ouiculis vestris non superueriat.

9no. Quum tamen repentini casus solicitudinem nostram eludere possint, volumus, vt quiuis Parochus bis per annum id est Paschali tempore, dum sacri liquores adferuntur, et circa Festum B. Jacobi Apostoli, qui extremaeunctionis Sacra-

---

(a) In Concilio Provinciali V. quae pertinent ad Sacram. ext. vac. §. quod Concilio pag. 223.

Sacramentum promulgavit, graui dictione moneat fideles, ut non expectato ultimo vitae articulo, illum aduocent, mortem aeternam comminetur illis, quorum culpa aegrotus absque Sacramentis decesserit. Quodsi nihilominus aliquis huiusmodi casus emerferit, familiares, domesticos acriter reprehendat, peccati admoneat, et iterum in Ecclesia obtestando hortetur omnes, ne permittant, quemquam interire.

10mo. Vetus illud Ecclesiae institutum ab Apostolica dimanans traditione, a multis tamen intermissum, renouari cupimus, vt nimirum Parochi non solum dum Sacramentum extremaeunctionis conferunt, super aegrotis orent, sed extra illud tempus etiam manus illis imponant, orationes in Rituali praescriptas super iisdem fundant. Theodorus Cantuariensis (a) in Poenitentiali vult aegrotos orationibus, et consolationibus Ecclesiasticis cum Sacra unctione olei animari. Haec eadem verba repetit Synodus Moguntina sub Rhabano Mauro anno 834. Paschasius Ratbertus (b) eiusdem orationis tum utilitatem, tum necessitatem commendat: „Secundum Apostolum, quum quis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post Sacrificatio unctionis, quia impossibile est per medicinam sanari vilius artis, quem diuina vltio premit.,, Dolemus sane ita viluisse multis hoc orationis officium, vt pene superstitionis damnetur ab impertitis, si quis super infirmum oret; huius autem disciplinae intermissione id denique consecutum est, vt non pauci ad alienos recurrent Sacerdotes, qui ab Ecclesia Catholica dissentient, manusque impositionem non raro suscipiunt ab iisdem. Alii ad incantationes muliercularum confugi-

(a) Sub medium Seculi VIII.

(b) De corpore, et sanguine Domini. c. 8.

fugiunt. Adeone elanguuit fides nostra, vt non confidamus iuxta promissum Christi (a) aegros melius habituros, si manus eis imposuerimus? Volumus proinde institutum hoc salutare pristino suo restitui vigori, vt discant fideles ad Ecclesiam confugere, et per interuentum Ministrorum Dei salutem corporis, et animae a Domino implorare.

11mo. Quum itaque Parochus, aut alius quispiam Sacerdos ad aegrum venerit, verbis vtimur S. Caroli: (b) „S „per eum orabit ratione (in Rituali) praescripta non semel „tantum, sed soepius, et quotiescumque id facere poterit „opportune, poteritque vti modo vna, modo alia ex for „mulis precum, et sacrarum lectionum, quae ad id praes „tandum in Sacramentali (Rituali) traduntur.,,

12mo. Praecipius alter finis, ob quem infirmos soepius visitandos monuimus, ille est, vt cuiuis, quantum fieri poterit, ex hoc Seculo exeunti commendationem animae faciant, quae vt certius fiat, in Matricula, seu Protocollo defunctorum adnotabunt Parochi, et Capellani, an Sacramentis fuerit prouisus, an commendationem animae eidem fecerit Parochus.

13tio. Jam supra insinuauimus nobis probe constare, quod Parochi praesertim in Filialibus degentibus officium commendationis animae praestare nequeant, vt tamen hoc subsidio non careant, vbiique Laicos habebit per plateas opportune dispositos, qui hoc auxilium infirmis exhibent. Hunc in finem opusculi huius exemplaria inter illos dividant Parochi, ita tamen, vt rite conseruentur.

## §. II.

---

(a) Marc. 16. v. 18. super aegros manus imponent, et bene habebunt.

(b) Instructione de visitatione, et cura infirmorum: acto. par. 4. pag. 535.

## §. II. De Confessione, et Absolutione Sacra- mentalii.

**1<sup>mo</sup>** Teste Gossidio <sup>(a)</sup> dicere solebat S. Augustinus: post perceptum Baptisma etiam laudatos Christianos, et Sacerdotes absque digna, et competenti poenitentia exire de corpore non debere. „Multum enim utile (ita ait S. Leo Papa, <sup>(b)</sup>) et necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali supplicatione soluatur. „Curabitis itaque Filii dilectissimi! ut omnes, dum adhuc possunt, contrito corde, et spiritu peccata sua confiteantur. Praecipua cura vobis sit, ut vehementissimum dolorem de peccatis in animo aegrotantium excitetis, plures enim perirent ob defectum competentis doloris, quam ob defectum integræ confessionis. Videmus tamen Sacerdotes plerumque de numero peccatorum undeunque eruendo anxios, de contritione non adeo solicitos esse.

**2<sup>do</sup>** Ut aegrotus ad confessionem rite peragendam efficacius adiuvetur, orationes ante confessionem cum aegroto, et circumstantibus perficiat Parochus, monens familiares, ut pro aegroto Dominum deprecentur. Dimissis deinceps circumstantibus, bonitatem Dei, grauitatem peccati gravi sermone proponat aegroto, recensitisque peccatis actus fidei, spei, charitatis, doloris cum aegroto recitatib; at mox etiam orationes post confessionem cum eodem persoluet.

**3<sup>to</sup>** Approbare nullatenus possumus consuetudinem nonnullorum, quod iure corruptelam nominamus, dum aegrotis pro grauissimis etiam sceleribus leuissimas, et poene nullas poenitentias iniungunt. S. Carolus pariter abusum



hunc

---

<sup>(a)</sup> In vita S. Aug. c. 13.

<sup>(b)</sup> Epist. 108.

Hunc damnat (a) „Poenitentiam, inquiens, non ideo esse  
men minus leuem imponet, quod iusta ab homine iacen-  
te non possit praestari, si probabile sit, quod conualescat,  
et tunc praestare poterit, quod non potuerat iacens. Quod-  
si credibile sit eum non amplius surrecturum, rationes iu-  
stae poenitentiae eligit, quae possint praestari a iacente  
veluti magnam Elemosynam pro facultatum modo.,, Con-  
formia his sunt, quae Concilium Moguntinum anno Christi  
847. et Concilium Nannatense anno 895. celebratum sanxere.  
Illud ait: „Ab infirmis in mortis periculo positis pura  
inquirenda est confessio; quantitas poenitentiae innotesce-  
re debet illis, et cum amicorum orationibus, et elemo-  
synarum studiis pondus poenitentiae subleuandum est.  
„Hoc, (id est Nannatense. c. 5.),, Infirmitas, qui necessi-  
tate mortis urgente confitetur peccata sua sub ea condi-  
tione a Sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam  
donauerit, sanitatemque reddiderit secundo iuxta qualita-  
tem delicti omnino poeniteat.,, S. Augustinus, vel alter  
vetustus auctor incertus: (b) „Nemini imponendum est,  
quod aut impossibilitas ei abdicat, aut tempus euanscens  
adimplere prohibeat, si autem aliquid, quod pauperibus  
prodesse habeat, manus eius inuenerit, aut amici si de suo  
dare voluerint, legale est, vt peccata sua elemosynis re-  
dimantur, orationes etiam amicorum ei pro futuras cre-  
dimus; si autem quantulacunque pecuniae summa deerit,  
aut qui orent pro eo, amicorum religiositas defuerit, la-  
crymae illi prosint. „Habetis itaque plenam dandae poe-  
nitentiae normam, curabitisque, vt eo intensior sit dolor,  
quo minor est satisfaciendi facultas. Illud denique eiusdem  
auctoris monitum alte imprimatis menti vestræ: „Melius  
est, vt morientem in manus misericordissimi Dei commit-  
tant,

(a) In instructione de visit. infirm. §. de Confes. p. 536.

(b) De visitatione infirm. lib. a. cap. 8.

tant, quam desperantem a regno Dei eliminent., Insigne charitatis opus erit, si vos austoritatem poenitentiae pro infirmo luendam vobis imposueritis.

4<sup>to</sup> De absolutionis aegris confessionem peccatorum suorum facere nequeuntibus impertiendo remedio S. Leonis M. et Concilii Arausicanii regulas vobis intimamus. Ait ille: (a) „taliū necessitati ita auxiliandum est, vt et acriis illis poenitentiae, et communionis gratia, si eam etiam amissae vocis officio per integri sensus indicia postulant, non negetur. At si aliqua vi aegrotudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo ante poscebant, sub poenitentia Sacerdoti significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul et poenitentiae, et reconciliationis beneficium consequantur. „Concilium Arausicanum: (b), Subito obmutescens prout status eius est, baptisari, aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritiae testimonium aliorum verbis habeat, aut praesentis in suo nutu.,,

5<sup>to</sup> Difficilior est illorum conditio, qui ad exitum vitae deducuntur, vt nec praeteritiae, nec praesentis voluntatis ullum testimonium existat. Neque hi tamen destituendi, sed qua ratione opem ferre valeatis, considerate; horum profecto absolutio dubia haud magnae securitatis locum praefstat, vnde curandum, vt extrema vngatio suppleat, quod in illis repentinae temporis ratio non admittit. Extrema enim vngatio, vt Patres aiunt, teste Conclilio Tridentino, „est consumatio poenitentiae singularium cordibus insculpta.,, Licet in hoc casu (verba sunt Synodi Lemouicensis anno Christi 1620. celebrati) nihil de absolutionis effectu promittere possimus, sed animarum

(a) Epist. 108. alias 83. cap. 5.

(b) Can. 12.

saluandarum causa nullum remedium omittere debemus, quod Deus potestati nostrae commisit, Deum orantes, ut immensa bonitate, et misericordia, quod deest aegrotorum dispositioni, suppleat, coetera inscrutabilibus Dei iudiciis commendantes.,, Nolite tamen prodigere absolutionem quamvis conditionatam in illos, qui aut ebrii sunt, aut in ipso peccato mori incipiunt sensibus destituti, aut extra Ecclesiae sinum vixerent. Circa quos postremos ludicrum prorsus est, quod nonnulli perpetrare non dubitant, dum nimis illos eo adducere conantur, ut profiteantur se in vera fide velle mori, quin tamen veritatibus Ecclesiae Catholicae assensum praebant, aut peccata sua confitendi animum habeant; tales qui sub conditione absoluunt, parietem liniunt absque temperamento, neque inde Ecclesiae Dei, aut moribundis quidpiam gratiae, aut communionis accedit.

6<sup>to</sup> Aliud potius genus moribundorum diligenter curate, quod facile negligitur; de pueris loquimur, qui septem annos vel attigerunt, vel praetergressi sunt, de his autem taxat nobis sermo est, licet compluribus diluculum rationis citius illucescat, ut adeo semet peccati, aeternaeque damnationis reatu obstringere possint. Quis tantillas aetatis non paueat interitum dicente Augustino (a) de se ipso,, tantillus puer, et tantus peccator.,, Nolite itaque pueros derelinquere, sed diligenter explorate statum eorum, illos praesertim, qui septem annos excesserunt, ad confessionem peccatorum disponite, actus fidei, spei, et charitatis cum illis elicie, fatagite denique, ut cum virginibus sequantur agnum, quounque ierit.

7<sup>mo</sup> Illud etiam vobis enixe commendamus, ut illis, quorum desperata est temporalis vita, si diutius peracta se-

mel confessione sacramentali, cum morbo luctentur, qui nec vitae finem adducat, neque emolliti sese patiatur, illos inquam ad nouam confessionem peragendam inducatis. Notis fraudes daemonis, si novo animae vulneri locum praebuerint, nouam adferatis medelam.

### §. III. De Comunione corporis, et sanguinis Dominici.

1<sup>mo</sup> Nullum sane Catholicum oportet absque viatico corporis, et sanguinis Dominici ex hac vita decedere, quod ideo viaticum appellatur, ut illo munitus viam hanc periculosa tutius ingredi valeat. Praebendum est illud grauiter aegrotantibus, non cunctetur tamen ita Parochus, (a) ut periculum adeat aegrotus moriendi, priusquam sumat.

2<sup>do</sup> Admonendos vos duximus Filii dilectissimi! viaticum hoc tam salutare necessarium esse in re, vel in voto; adeoque infirmos, qui illud ob quamcunque demum causam fuscipere non valent, ad vehemens illius desiderium excitabitis.

3<sup>tio</sup> Laudabile est illorum desiderium, qui suscepit mel viatico communionem viuifici corporis et sanguinis Domini denuo esurientes, cum ieiunium naturale seruare nequeant, illam iterum, atque tertio per modum viatici fuscipere cupiunt. (b) Volumus proinde, ut Parochus infirmorum voto deferat.

4<sup>to</sup> Ingemiscimus, dum reputamus cum animo nostro pueros etiam nouennos, aut decennes passim absque viatico interire. Volumus itaque auctoritati Benedicti XIV. innixi (c) ut Parochi pueris illis absque tergiuersatione viati-

(a) S. Carol. Instruct. laudata §. de Communione.

(b) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 7. c. 12. n. 4.

(c) Lib. 7. de Synod. Dioeces. c. 12. n. 3.

cum praebant, quos diligent examine praemisso tanta compererint pollere ingenii perspicacia, ut latentem sub speciebus Sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reuerenter adorent. (a) Sciantque Parochi graui se teneri peccato, nisi hic diligentia vni fuerint.

5<sup>to</sup> Amentes etiam, fatuos, et stolidos plerumque negligi dolemus, quibus dum viuunt, ad ludum, ac etiam ad iniuriam miserorum, contumeliamque Creatoris abutimur, dum mortis instat articulus nullam salutis curam impendunt. Horum itaque status explorandus est, cum soepe lucida habere soleant interualla. Sequantur Parochi praeceptum Concilii Arausicanii (b) dicentis: „amentibus quaecunque pietatis sunt conferenda.

6<sup>to</sup> Quia tempus morbi illud est, quo maxime nos oportet cum Deo iungi, illique inhaerere, habituales etiam aegrotos multis nonnunquam annis lecto affixos prae fame coelestis conuiuii tabescere aegre ferimus. Proinde Parochi soepius in anno praesertim cum festa quaedam occurunt solemniora ad aegrotos licet non grauiter decumbentes sumendam deferant Eucharistiam.

7<sup>mo</sup> Jam alias monuimus vos Filii dilectissimi, ut adorandum hoc Sacramentum, nisi necessitate exigente priuatum ad aegrotos non deferatis, verum Cotta, seu superpelliceo, et stola induiti, praeunteque tintinnabulo, et lumine. Curabitis quoque, ut frequens fidelium numerus illud comitetur, et pro aegroti salute Dominum deprecetur. (c)

8<sup>to</sup> Infimos quosuis ad pie, deuoteque suscipiendum hoc

(a) Eadem habet Synod. Tusculana Card. Eboracensis par. 3. cap. XI. art. 2. n. 21. p. 543.

(b) Concil. Arausic. can. 13.

(c) Syn. Tuscul. par. 3. cap. XI. art. 2. pag. 544.

Hoc Sacramentum disponat Parochus, pias preces, sive illas, quae in hoc opusculo occurrent, sive quae in parte 4ta aurei, operis de imitatione Christi habentur, clara, et distincta voce cum feroore, et affectu praeoret. Magnum stimulum addet aegroto, si ante Communionem Antiphonam illam: O sacrum conuiuum in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur: cum affectu enucleauerit; et rursus post communionem illam Antiphonam: O res mirabilis! manducat Dominum pauper seruus, et humilis: et rursus: „mane nobiscum Domine, quoni- am aduerserascit, et inclinata est iam dies.,,

9no Tantus hospes dum penetralia nostra subit, dignus excipiens; ideo Parochi non solum non impediant aegrotum tanto Sacramento assurgere volentem, sed prudenter stimulent etiam.

#### §. IV. De Extrema vunctione.

1mo Quo necessarium magis, et salutare est extremae vunctionis Sacramentum, eo maiori vi admittitur diabolus, vt fideles ab illo arceat, rudium animis scrupulum iniicit, oppido erroneum, et perniciosum, aliqui enim sibi persuadent: Si extremae vngti sint, nudis pedibus dein incendere, et opere coniugali vti non liccre. Hunc errorem impugnauit inter alias Synodus Strigoniensis Prouincialis. Cardinalis Hypoliti quare admoneri iubet fideles, (a) vt quotiescumque necesse fuerit, vunctionem extremam recipiant, et sanitate recuperata ad opus possint coniugale redire. Huiusmodi itaque errores sedulo eximere studeatis.

2do Ille quoque metus a cordibus fidelium depellendus est, quasi illico moriendum, desperataque prorsus sit salus,

do-

---

(a) De quinto Sacramento.

docente enim Apostolo Iacobo discimus, quod oratio fidei saluabit infirmum, et alleuiabit eum Dominus, vnde potius cum Concilio Tridentino Ses<sup>z</sup>. 14. c. 2. concludimus, quod infirmus vunctione Sacra delibutus sanitatem corporis interdum, vbi saluti animae expedierit, consequatur. Intrinsecam rationem pro more suo addit S. Thomas (a) „opportet, quod per curationem temporalem significetur curatio spiritualis, etiam si corporalis sanatio non sequatur., Suo itaque periculo differunt extremam vunctionem ad illum articulum, vbi semianimata iam sunt cadauera.

3<sup>to</sup> Vnde tum ideo, tum etiam, quia minori cum devotione illud suscipiunt aegroti iam animam agentes, grauius peccant Parochi, si culpa sua illius administrationem differant. Synodus Dioecesana Fulginatensis (b) ait: „grauius peccare se sciant Parochi, protrahentes huius Sacramenti administrationem, quoadusque infirmus sensibus destitutus animam agere incipiat., Luculentius idipsum expressum habemus in Synodo montis Falisci, et Corneti. (c), Quamuis iis dari debeat, qui morti sunt proximi, nihilominus ad vitae exitum non est differenda, quando in summis labiis est anima, et sensus omnes ita obruti, vt sibi non constet aegrotus, nec aliquid audiat, aut intelligat. Iuuat profecto sana adhuc mente illam percipere, cum ad vberiorum gratiam plurimum conferre possit suscipientis deuotio., Si vetus Ecclesiae disciplina attendatur, clarum est cunctationem, quam multi in excusationem torporis obtendunt, degenerem esse; olim enim aegri ad Ecclesias deducebantur, vel serpebant, ibi genuflexi, vel sedentes vngebantur; vnde iam patet citius eos ad remedium accurrisse.

4<sup>to</sup> Ut autem de administrandi huius Sacramenti tempore

(a) Dist. 23. io quartum que. 2. ar.

(b) Ill. Iosaphat Baptistelli tit. de extr. vnc<sup>t</sup>.

(c) Ab Ill. Sebast. Pompil. celebrata anno 1720. lib. 2.

pore nihil haesitatis, audite Odonem Parisiensem anno M C.  
LXXV. ita statuentem, „in qualibet infirmitate, vnde me-  
tus est mortis, administrari debet „ Rursus Concilium Nar-  
bonense (a) „ Extremae vunctionis Sacramentum non iis so-  
lum conferant Parochi, de quorum salute corporis nulla  
omnino est spes, sed illis etiam, in quibus vitae discri-  
men esse iudicabit.„

5<sup>to</sup> Hinc, vti Synodus montis Falisci, et Corneti  
paulo superius laudata recte inquit: „senio item confe-  
ctis, ac tabe exesis cum guttatum viuere, et ad mortem  
properare videntur, conferri debet, etiamsi non alia illos  
premat infirmitas, quam immedicable senium.„

6<sup>to</sup> Puerorum hic denuo nos excitat solicitude, qui-  
bus si septennium excesserunt, etiamsi ad Sacram commu-  
nionem nondum admissi fuissent, vel neque dum admit-  
ti possint, conferri volumus. Ex Paterna haec scribimus  
traditione; in Pastorali enim Mechliniensi legimus confe-  
rendam esse pueris, licet sint octo, aut nouem annorum,  
et quamvis nunquam communicauerint.„ In Rituali Ar-  
gentinensi Cardinalis de Rohan: „ non denegetur etiam  
pueris, si septimum annum attigerunt, nec iis denegetur,  
in quibus malitia supplet aetatem, etiamsi septennarii non  
sint.

7<sup>mo</sup> De amentibus superius diximus explorandum es-  
se diligenter statum mentis, de vunctionis extremae Sacra-  
mento liberalius statuendum est, vt illis, qui aliquando  
vel mentis compotes fuerunt, vel lucida intervalla habu-  
erunt, licet tunc temporis omni vsu rationis destituantur,  
conferatur. „ Non iis denegetur, (ita habet Synodus  
montis Falisci) qui in Phrenesim inciderunt, aut mente  
sunt

sunt moti, si sui compotes quondam fuerunt, imo et ipsi ab ortus initio amentibus, si interuallata fuerunt eorum deliria, modo absit irreuerentiae periculum, „ quod caueri facile potest; huc valet potissimum suprafatus Concilii Arausican Canon decimus tertius, quem repetere non piget, „ amentibus quaecunque pietatis sunt conferenda. „

8<sup>vo</sup> Diligenter autem vos admonemus, et obtestamur, vt illis, quibus repentinum mortis periculum omnem sensum abstulit, illico extrema vnctio succuratis. Haec potest saluare secus damnados iuxta illud S. Iacobii: „ si in peccatis fuerit, remittentur ei, inquiete Concilio Tridentino Sess. 14. c. 2. res haec gratia est Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quae adhuc sint expienda, ac peccati reliquias absterget. „ Inter fines itaque praecipuos huius Sacramenti est supplere vices Sacramenti Poenitentiae, quando vel illud applicari non potest, vel de facto non satis utiliter applicatum est.

9<sup>ro</sup> De repetitione huius Sacramenti doctrinam Angelici Doctoris pro norma habete, ait is: <sup>(a)</sup> „ quaedam infirmitates non sunt diuturnae, et ideo quia datur hoc Sacramentum tunc, cum homo ad illum statum peruenit, quod sit periculum mortis, non recedit a statu illo, nisi infirmitate curata, et ita iterum non debet inungi, sed si reciduum patiatur, erit alia infirmitas, et poterit alia fieri inunctio. Quaedam vero sunt aegritudines diuturnae, vt hectica, et hydropisis, in talibus non deberet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis, et si homo ex illo articulo euadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illum infirmitatem educatur, iterum potest inungi, quia iam

---

(a) In quartum dist. 32. qu. 2. art. 4.

iam est quasi alias infirmitatis status, quamquam non sit alia infirmitas simpliciter.

10<sup>mo</sup> Ultra illas orationes, quae in hoc opusculo continentur, adiici curauimus etiam affectus, ad quos aeger Sacramentum hoc suscepturus disponi debet, ad illos igitur cum aegroto eliciendos incumbetis.

11<sup>mo</sup> Non negamus quidem oleo ab Episcopo consecrato soepius posse affundi oleum non benedictum, dummodo in minori quantitate id semper fiat, volumus tamen, ut Parochi illo deficiente ab Archidiaconis suis pellant, qui sibi adhunc effectum plusculum reseruent, alioquin ea quantitate consecrari solet oleum, ut non sit necessarium tam parce agere, quin potius lenticulam olei metuentes ob reprobationem Sauli cupimus domum repleri ex odore vnquenti.

12<sup>mo</sup> Ipsa huius Sacramenti reverentia postulat, ut benedictionis oleum religiose conseruetur. Atque ideo oleum hoc cum chrismate, et oleo Catechumenorum in sanctuario ipso fenestrellam, seu loculum aptabitis, portula et clauibus muniatis cum epigraphe: *Sacri liquores.*

## §. V. De Testamentis.

1<sup>mo</sup> Multis videtur ad partes Sacerdotis pertinere, ut aegrotus testamentum condat; licet autem id nonnunquam necessarium, aliquando vtile esse possit, confiteri tamen nos oportet raro omnino casum illum occurgere, nos, si auditis, existimamus vos non magnopere de eo sollicitos esse debere, tum quia leges sanxerunt succendi ordinem, tum quia vix aliquando testamenta conduntur, quae nouis quaestionibus aniam non praebarent, aegrotus etiam

huiusmodi cura a contentione rerum spiritualium facile abstrahitur.

*2do* Magnopere vos obsecramus, vt a testamentis conficiendis, scribendisue diligenter abstineatis, neque testes sitis, volumus enim vos ab omni partium studio esse alienos.

*3to* Illud autem praecipimus, vt omnem umbram quaestus, avaritiae cupiditatisque declinetis, neque vestram Ecclesiam obtrudatis siue aedificandam, siue restaurandam, aut ornandam, tanto minus conuenit, vt vosmetipso legatarios, aut haeredes scribi procuretis. Si aegrotus vos in consilium vocet, animum ab omni cupiditate alienum adferte.

*4to* Si cum diuite, aut commode semet habente vobis res sit, dicite cum S. Augustino. (a) Quid Christo? quid animae tuae? omnia filii? inter filios suos, quos habent in terris computent unum fratrem, quem habent in coelo, cui totum dare debebant, vel diuidant cum illo., Regulam, et mensuram suggerit S. Hyeronimus. „Si quavidua habet liberos, et maxime si nobilis familiae est, egentes filios non dimittat, sed ex aequalitate eos amet, et vt meminerit primum animae suae, et ipsam putet esse de filiis, et partiatur potius cum liberis, quam omnia filii derelinquat, imo Christum liberorum suorum faciat cohaeredem. Verum quidem est expedire, vt in vita suae faciat Dominum substantiae participem, expedit tamen magis, vt id sero fiat, quam vt nunquam fiat. „Oportebat quidem (ait S. Ioannes Chrisost. ser. 17. in quinto ad Ephes. caput.) viuentem hoc facere: esset enim

id

---

(a) In psal. 48.

id recti, et liberi propositi, verum etiamsi ex necessitate fiat, esto tamen vel tuu liberalior, et largior.

5<sup>to</sup> Dum testamenti condendi mentio iniicitur, id praeprimis curabit Parochus, ut nullum testator iratus excludat, nullum ingratus praetereat; cum sol super iram hominis occubere non deberet, quomodo ex hac vita decedet, quin pacem concedat? Etiamsi iusta videatur indignatio, ad veniam adducendus aegrotus. Confundi oppoteret Christianos, dum illud Senecae legunt (a) „Quid est, quare grati esse volumus, cum morimur? quare singularum perpendamus officia? quare id agamus in omnem vitam nostram memoria decernente, ne cuius videamur officii obliti? nihil iam superest, quo spes porrigitur, in illo tamen cardine positi, abire a rebus humanis quam gratissimi volumus, est videlicet in ipso opere magna merces rei, et ad allicendas mentes hominum ingens honesti potentia.

6<sup>to</sup> Iustam aduersus illos, qui cum iniuria etiam liberorum ditari Ecclesias volunt, censuram continet illud S. Augustini: (b) Ianuarius testamentum fecerat, Ecclesiam Dei cum iniuria filiorum scripsérat haeredem. Quid Augustinus? „Statui, inquit, haereditatem ipsam in Ecclesiam non suscipere, filiorum ipsius sit, quod reliquit, ipsi inde faciant, quod voluerint. Commendaui autem Ecclesiae, ut non accipiāt ipsas portiunculas, quae pertinent ad exhaeredatos, nisi ad legitimā aetatem peruerenterint.

(a) Lib. 4. De Beneficiis cap. 23.

(b) De diuersis serm. cap. 49.

§. VI. De adhortatione, et consolatione, infirmorum.

1<sup>mo</sup> Multa sunt omnino, de quibus moribundi admoneri debent, neque vos ab hoc adhortationis officio, quaecunque deum conditio personae moretur; soepe enim eruditivi, quin illi etiam, qui sacris adscripti sunt gradibus, aut fama pietatis conspicui sunt, hoc subsidio magnopere egent: Soepe enim eruditivi alia potius norunt, quam animae curare vulnera; morbus etiam facultates hominum internas habet, et ad consueta officia minus idoneas reddit. Pii etiam ac deuoti soepe stimulis egent, aut consolatione. Prudentia tamen vobis suggeret, quem, qua de re, et quomodo admonere debeatis.

2<sup>do</sup> Ut itaque exhortationis opportunae subsidium adferre valeatis, omnes admonitionum locos, et modos familiares vobis reddatis, soepius idoneos libros legatis, fententiasque memoriae mandetis.

3<sup>to</sup> Quantum fieri potest, quiuis ad aegrotum meditatus accedat, de qua re, et quomodo sit sermonem habitus; quare dum accedit, omnes aegroti circumstantias in itinere exploret, vitae rationem, pericula, occupationes, scandala, et his similia, domumque ingressus modesto, sed vigili oculo consideret, pellices, concubinas, et huiusmodi offendicula remoueat.

4<sup>to</sup> Admonitionibus vtatur animarum Curator breuibus, sed succo, et robore plenis, quae per interrogationem aptissime proponentur.

5<sup>to</sup> Ante omnia rudes instituendi sunt, pervideatque diligenter, an fidei documenta teneant, si dubia habet? an fidei articulos, quos quiuis aegrotus scire deberet necessitate praecepsi non calleat; curet Parochus, ut per expositio-

nem

nem breuem fidei articulorum condiscat, et de negligentia in discendo admissa doleat.

6<sup>mo</sup> Non est magis opportuna cuius hominum conditioni vlla adhortatio, quae etiam consulatur nos ex vita hac migrantes, quam ut desiderium aeternae vitae in aegroto excitetur; enarranda proinde sunt magnalia domus Domini, aeternum gloriae immensum pondus.

7<sup>mo</sup> Spe aeternae vitae sicut labores peregrinationis nostrae leuius ferimus, ita firmissimum est morientium praesidium; tota itaque animi contentione Parochus aegrotum ad spem, et fiduciam excitet. *Felix*, ita ait Spiritus Sanctus Eccl. 15. *qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit spes sua:* Animabit pusillanimes recitando illud Isaiae cap. 13. „Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine meo: meus est tu, cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaueris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel Saluator tuus.„ Nil magis excitat fiduciam, atque cor contritum, et humiliatum: ideo spei actus contritione mixtos ex Psalm. 50. pronuntiabit.

8<sup>vo</sup> Parochus insuper curiose exploret, quanta sit morientis fiducia in meritis, et sanguine Iesu Christi; si haesitantem, et iusto nimis trepidantem viderit, indaget in causam, illamque tollere satagat, qualis est apud nonnullos restitutionis onus, confessionis perfunctorie peractae.

9<sup>no</sup> Aliquos non tam erigit spes aeternae vitae, quam deicit amor praesentis; ut ergo aegrotus animam Creatori a quo animo reddat, graui tono, et enucleate dicet Sacerdos hoc Spiritus Sancti effatum. Eccl. 40. „Occupatio magna creata est omnibus hominibns, et iugum graue super filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum, vsque in diem

sepulturæ in matrem omnium,, vnde concludet iuxta illud Eccl. 7. „ melior est dies mortis die nativitatis,, adiunget ex Jobo „ homo natus de muliere breui viuens tempore multis repletur miseriis; breui viuens tempore, quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra. „ Iuuenibus repetet : „ Praecisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer succidit me. de mane vsque ad vesperam finies me. Monebit autem graui oratione quosuis, vt cogitent, quam breue sit visum tempus, quod hactenus vixerunt, tam breue visum iri, si diutius viuerent; filiorum Dei esse vocem illam: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.,, Ob oculos ponat illis quod Sanctus Augustinus dicebat: qui maior est aetate maior est iniquitate.

I<sup>mo</sup> Nonnulli dum aegre ab hoc mundo auelluntur, conqueruntur, quod ob infirmitatem non possint bonis operibus vocare, quod mors illorum conatus intercipiat. His inculcandum est illud Sancti Augustini libro de Catechisandis rudibus cap. 4. „ Nemo melius ordinat, quid agat, nisi, qui parvior est non agere, quod Diuina potestate prohibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur.,,

II<sup>mo</sup> Qui acutissimis affiguntur doloribus identidem breuibus sententiis ad patientiam excitaendi sunt; inclamabitis ergo illud Michaeae cap. 7. „ Iram Domini portabo, quia peccavi ei „ et ex Jobo cap. 3. peccavi, et vere deliqui, et vt eram dignus non recepi „ rufus crucem ostendendo, nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Egregium est illud toties laudati auctoris de visitatione et cura infirmorum libro I. cap. 4. „ Si Deum diligis, quod facit Deus diligis; et si quod facit Deus diligis disciplinam Dei flagellantem diligis „ addet ex grauissimis his doloribus spem aeternae vitae augeri, prouti idem dicit lib. I.

cap. 6. „Si in flagello vis Deum recognoscere, non flagellaberis in anima, et corpore, non enim flagellat Deus bis in idipsum.

12<sup>mo</sup> Duplex alios grauat molestia, dum nimirum illos morbi affligunt, nullamque opem humanam, ad quam respiciant, inueniunt; hos stipe quoque adiuuate. Paupertatem allegatis propriam! audite S. Gregorium Nazianzenum (oratione de pauperum amore) „summi munera loco alacritatem dona; si nihil habes, collacryma; magnum est infortunato remedium miseratio ex anima collata.

13<sup>to</sup> Alios perturbat morbi diuturna duratio, metuntque domesticis suis molesti eff. Hanc anxietatem si in aegroto deprehenderit Sacerdos, primum quidem a tali suspicione liberabit infirmum, melioraque de Christiana illorum charitate sperare docebit, vna autem commendabit illi, vt cum omni humilitate, mansuetudine, gratitudinis significatione opem petat, praestita seruitia fuscipiat, neque murmuret, si defectum aliquem expertus fuerit; dein Sacerdos quasi aliud agens sermonem ad familiares conuertat, et illos ad patientiam habendam cohortetur, denique pro sua in oculas curae suae concreditas charitate, aliorum etiam proborum fidelium excitabit charitatem, vt aegroto praesto sint.

14<sup>to</sup> Adhortari denique non omittat Parochus aegrotos, vt ad se inuisentes aedificare studeant inuicta patientia, piis sermonibus, vt lectulus morientis sit victurus schola morum et probitatis.

## §. VII. De aliis subsidiis bene moriendi.

1<sup>mo</sup> Alia adhuc esse subfidia, quibus aegroti adiuuari possunt, et debent, illi solum ignotum esse potest, quem nulla proximi necessitas commouet. Recte itaque Synodus

) ) ) ) )

Ne-

Nemannensis. (a) „Debet egroto (Parochus) quidquid humanitatis, vel consolationis poterit impendere absoluendo eum, et reconciliando et orationes dicendo, et crucis osculum, si praesens fuerit crux, sibi dando.,, Passio Christi, humanitas Saluatoris nostri efficacissimum subsidium est, quo adiutari debet aegrotus, „delectabile quippe est (inquit auctor (a) de visitatione, et cura infirmorum) homini et salutare morienti loqui, et satiari de humanitate Christi.,, In illa delectetur, ex illa quoque satietur, ad ipsam conuertat faciem suam, sicut de Ezechiele dictum est: (c) Conuertit Ezechias faciem suam cum lachrymis ad parietem; paries Christi humanitas est, vnde ita Salomon (d) en ipse stat post parietem. Ad hunc reuera parietem Ezechias sub mortis articulo, quem ei Propheta per Spiritum praedixerat, faciem conuertit, et ita conualuit. Dum itaque crucem praebet, dicat cum S. Augustino: „dat pia vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum totum corpus expositum ad redimendum. Haec quanta sint, cogita. Haec in statera cordis appende, et totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fuit fixus in cruce; concludat dicendo: cernitur in toto corpore sculptus amor.

(a) Ab aegrotis actum viuum fidei, et professionem exigat, salutis enim nostrae fundamenta tunc vel maxime subruere ntitur satanas, mente voluat tamen modo laudati auctoris, de visitatione, et cura infirmorum monitum. (e)  
 „Mirabile illud de Trinitatis unitate, de unitatis Deifica trinitate magis est credendum, quam exponendum; enim uero credatur Sacrae Scripturae testimoniis. Synodus Bononiensis

supra

(a) Anno 1284. celebrata. (b) Libr. 2. c. 2. (c) 4 Reg. 20. v. 2.  
 (d) Loco cit.

supra allata „ vel per se vel per substitutum Sacerdotem iuuet moribundum excitando ad fidei, spei, et charitatis actus, protestationes, pie religioseque descriptas a doctis viris eliciat a moribundo, quibus de singulis credendis ab Ecclesia propositis, et de omnium articulorum fidei professione firmiter exhibenda corde et ore protestetur.

3<sup>to</sup> Magnoe curandum, vt aegroto salutares praebantur occupationes, otium enim cum toedio ita coniunctum est, vt se se inuicem consequantur, quibusuis ergo tentationum, impatientiae, blasphemiae, aliarumque incursiis patebit magis, nisi ordinatae fuerint preces, quas statutis horis dicat, et familiares cum ipso recitent, adsint etiam aegroto libri spirituales, quos vel legat, vel legi audiatur, quantae utilitatis id sit Sancti Ignatii de Loyola exemplum persuadet.

4<sup>to</sup> Explicit Parochus infirmo preces, quas Ecclesia sanxit in extremas uunctionis collatione. Dum cereum benedictum porrigit, proponat causas huius ritus, vt nimirum cereo ostendat se rectam fidem tenere, quae est lucerna, et spem ponere in Domino Iesu, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

5<sup>to</sup> Dubitari nullatenus potest quemuis Christianum, dum infirmatur, dum ad mortem properat, oratione instare debere. Adhortetur itaque Parochus omni studio, vt aeger identidem oret.

6<sup>to</sup> Singulis diebus Dominicis populum, vt pro infirmis Parochiae Deum oret, monebit, aliquot orationes Dominicas cum eodem recitabit, ipse nihilominus tum in Missa, tum alias feruentes fundet preces, signum campana pro agonizantibus dari faciat, etiam si unicam habeat,

certo

certo enim signo intelliget populus agonizantibus orandum esse.

7<sup>mo</sup> Parochi, et animarum curatores saepius cum animo suo reputent, quid profecerit apud aegrotos, quid apud eundum adhuc fieri debeat? Quid in aliis casibus fieriopporteat? fructus perceptos diligenter adnotet.

8<sup>vo</sup> Tandem meminerit Parochus agonizantes reliquis sensibus destitutos plerum acutissimo pollere auditu, vnde obtestamur, et obsecramus vos, vt in tempore malo non deseratis ouiculas vestras; audient vocem pastoris, nolite tamen nimis clamare, aut perpetua locutione auditum aegri pulsare, multo minus infirmum cogere, vt preces ore repeatat, aliquando interrumpite suggerendi laborem, et tacite orate Dominum, aliquando cum familiaribus ad genua prouoluti misericordiam petite, quam nobis omnibus concedat Dominus per gratiam suam.



MINISTER  
AEGROTANTIVM,

ad procurandam iisdem felicem  
mortem,

A V C T O R E  
P. CAROLO SOLFI,  
Clericorum regularium infirmis  
ministrantium.



## Ad Lectorem!

**A**rs bene moriendi tam ardua est, atque difficilis, vt eam si millies etiam inculcaueris, semper tamen ad discendum remaneat aliquid; quum ad sciendum bene mori longe plus desideretur, quam ad sciendum bene viuere. Ut quis nascatur, nullo fere opus est studio; vt autem bene moriatur, longe maximo, numquam est auditum, bis aliquem fuisse natum; bene vero, bis esse mortuum; vt de Lazaro, aliisque multis a morte resuscitatis scite obseruat S. Augustinus, „vt homo inquit, semel nasci, et bis mori disceret.“ Agitur scilicet de pugna cum daemone; cuius assultus timendi quidem semper, sed potissimum vltimi illi, ac decretorii. Insideaberis calcaneo eius, dixit olim Deus ad serpentem, „idest fini eius, quia finem expectat diabolus“, vt Tostatus interpretatur. Ipse Christus moriendo altum clamauit, „clamans voce magna“, ob summum nempe horrorem, quo, vt plerique volunt, percussus est ex aspectu daemonis, iam ante quidem ei in deserto comparentis, sed qui tunc „recessit ab eo usque ad tempus crucis“, prouti exponit S. Ambrosius.

Haec itaque momenta facile, credo, me excusabunt, quod tale argumentum tractandum suscepimus, de quo tot alii iam, et tam laudabiliter scripsere; scilicet summa necessitas coniuncta cum summa succurrendi difficultate non respuit multiplicis super hoc tractatus, libenterque admittit unius, eiusdemque medicinae crebriorem repetitionem. Evidem tractatus hicce inops erit, atque nudus; erit tamen, vt mortem decebat, quae ceu omnium spoliatrix, nulla recepit ornamenta, ideoque nuda, et inanis pingitur.


Titulus porro, quem fronte gerit, Ministri aegrotantium, non tam est proprius Instituti mei, vt non conueniat

aliis etiam, qui vel ex officio, aut charitate pro salute moribundorum in angelico hoc ministerio laborant; proinde ad nos solos neque ego illum restringere, sed facere omnibus communem volui.

Duas in partes dispescitur integer tractatus, quarum in prima demonstratur Instituti excellentia tum ratione vocationis, tum vero obiecti, aliorumque requisitorum. Inſuantur etiam monita quaedam, queis instructus Minister cum fructu hoc officium obire queat; adduntur quoque motiva quaedam, quibus ad felicem mortem praeparetur infirmus. Quodsi haec aut difficultia valde, aut nimium prolixa viderentur, erit utique in arbitrio prudentis Ministri, ea duntaxat feligere, quae tempori, loco, statui, et conditioni aegrotorum magis congruere existimauerit, eum plane in modum, quo medicus in multiplici pharmacorum varietate ea tantum adhibet, quae ad statum morbi aptiora, et magis idonea compererit.

Secunda autem pars circa praxim versatur assistendi moribundis, cum modo Sacra menta administrandi, et deuotis quibusdam orationibus, praecipue de passione Christi, Domini nostri, aliisque precibus tali occasione legi solitis, multum sane efficacibus in extrema illa necessitate.

Caeterum quum hic quasi perpetuo de doloribus agatur, angoribus, et angustiis moribundorum, quae certe nostram compassionem sibi vendicant; haud vane promittit sibi auctor fore, ut lectores ei etiam compatiantur, quorum singulis felicem vitam ita precatur, ut omnes Sancte moriendo, aeternum tandem DEO viuere possint.



# MINISTER AEGROTANTIVM PARS PRIMA,

---

## C A P V T I.

### De vocatione Ministri aegrotantium.

**H**ominis vita est ceu quaedam laboriosa nauigatio, qua versus Orientem immortalitatis vela expanduntur. In procelloso hoc transitu furunt venti tam violenti, fluctuanteque occurrunt adeo rapida; vt non allidi scopulis, aut in transuersum non agi, miraculi instar habeatur. Proinde vt in portum salutis aeternae semper directa sit prora nostra, magnopere egeremus gubernatorem. Itaque ne vnquam deessent nobis periti eiusmodi gubernatores, peramanter prouidit infinita Dei bonitas, quorum ducentum secuti, possimus post superata prospere pericula, in tranquillo iam portu felices vela cum securitate contrahere. Hinc sine villa plane interruptione saeculis omnibus federunt ad gubernacula naticulae Petri viri quidam praeclari, qui licet discrepantes a se intuicem in consiliis, regendique forma, omnes tamen ad unum, eundemque finem intenti, ceu magnanimi Navarchi vita huius aequor immensum sunt ingressi; quorum cohortationibus praelucente bono exemplo illustratis, obedientes animae, eorum curae commissae,

tamquam merces quaedam pretiosae in paradisi nundinis explicandas secundo cursu enauigarunt. Quoniam vero infernus longinguo huic itineri semper quidem insidiatur, malitiosissime tamen, ut SS. Gregorius, et Isidorus aiunt, quum sioi iamiam nos appropinquare videt; satis certe aestimari nequit magnitudo periculi, quod post felicem etiam nauigationem imminet naufragandi in portu: tam horribiles nimirum circa finem insurgunt diabolicarum temptationum tempestates: tam alti tumultuantur passionum fluctus tumescunt; tam terribilis caeli irati turbines minantur desuper! Vnde placuit Divinae Clementiae, ut posteaquam Ecclesiam suam variis Sacris ordinibus, velut totidem magnis nauibus instruxisset, quae in freto hoc periculo viatores diuersis fanae doctrinae, bonique exempli viis securi deueherent; placuit, inquam, ut vltimis hisce annis paruam etiam cymbalam eidem adiiceret, cuius esset proprium, nauigantes mortales in portum sempiternae quietis expondere, a quo tamen mox iam ingressuri post exantlatas etiam alias mundani maris molestias, a nouis tempestatibus furiosissime repelluntur. Hoc porro officium singulari quodam priuilegio ab Altissimo, qui omnia moderatur, Instituto meo religioso fuit reseruatum, quippe quod sub prouida directione Fundatoris (a) nostri S. Camilli de Lellis conatur illas animas in saluo ponere, quae a celeberrimis aliis religionibus, eximiisque viris, media inter pericula Zelo indefesso versus beatorum Patriam fuerunt conductae. Vocatio procul dubio excelsissima ministerii huius nedum apostolici, sed angelici etiam, iuxta illud Euangeli: „Ego elegi vos, ut fructum afferatis, et fructus vester maneat.„ Si enim contingat, ut aeger feruidis assistentis hortatibus, precibusque ad poenitentiam adducatur, Deus vero flectatur ad misericordiam; en fructum huiusmodi laborum semper in tuto collocatum. Angelicum autem esse hoc ministerium, ipsimet Angeli diuersimode prodiderunt, dum aut sub specie hominum fores pulsantium, et ad infirmos Patres nostros inuitantium comparuerunt; aut deuotas quasdam personas sub habitu nostro cruce insignito ad felicem transitum praepararunt; auf denique Patribus nostris verba salutaria in aures insuffrarunt, prout propriis oculis se vidisse testatur S. Philippus Neri. (b) Nempe boni hi Angeli hac ratione desiderauerint, Christi disci-

(a) Institut is ordinem Clericorum Regularium aegrotis animam agentibus seruientium.

(b) Ita Processus Canonizationis S. Camilli de Lellis.

discipulos imitari, inque exercitio tam diuinæ charitatis crucem baiulare cum eo. „ Qui dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente; baiulare etenim crucem, et post Dominum ire, est compassionem proximo studio aeternoae intentionis exhibere. S. Greg. Papa. homil: super Euang: Hinc non sine mysterio vñus crucem in habitu gestandi concessus est nobis a Summis Pontificibus; cum enim Patriarcha noster Camillus, ceu nouis aliquis Moyses electus a Deo fuisse, vt fidelium animas in hora mortis in terram promissionis vitae alterius traiiceret; erat vtique consentaneum, tam ad propulsandos infernalis Pharaonis impetus, quam etiam aperiendum in agonis freto securum transitum, vt cruce armatus, velut quadam mystica virga compareret, „huius quippe signaculo, vti discurrit S. Basilus, ab hostibus liberati, in rectum tramitem reuocamur. „ Arcana itaque Dei prouidentia factum est, vt nostri vestem portarent cruce signatam; vt haec contra infernum pro moribundorum fauore pugnaturis aut esset indubit futurae victoriae praesagium; sicut olim militibus Arcadii imperatoris fuit, dum starent in acie cum Persis iamiam manus conserturi; maximopere enim, vt ait Origenes, timet infernus insigne hoc crucis inuictissimi Duci nostri, qui fuit, triumphans in ligno crucis, aut ad aspectum illius tanquam salutaris cuiusdam signi infirmi salutem suam recuperarent; quemadmodum in deserto ad aspetum aenei serpentis relanabantur Israelitae; „ si enim, vt pie argumentatur S. Ambros: serm: 55. de cruce: si figura tantum profuit, quantum prodeesse credimus veritatem „? aut comparente triumphali haec cruce generosissimi Leonis Juda, pulsae fugataeque retrocederent in transitu agonizantium infernalium leonum cateruae; veluti quondam in Persia crucifixi aliquot leones, alias regionem infestantes, terrore suo procul abegerunt; vt enim ait S. Aug. signum crucis a nobis expellit exterminatorem: aut denique manifestum fieret, quantopere ministro aegrotantium ceu vero Christi discipulo crux conueniat, dicente eodem Christo: „ Qui mihi ministrat, me sequatur; et qui vult venire post me, tollat crucem suam, et sequatur me. „ Atque ideo, quum venerabilis Dei Seruus, Camillus de Lellis, vehementer esset afflictus ob multitudinem obscurorum, quae nouellae religioni, suorumque finium laudabilium prosecutioni pertinaciter obsistebant; ac propterea, dum diuinam opem imploratus coram crucifixo feruentius oraret; hic manus suas miraculosaæ a cruce reuulsiæ, seu vt illam daret pro gloriose

vexillo nouae huic militiae, in qua is aquirendis caelo animabus Vicarius Christi operam nauaret, quae teste ipsomet Christo non tam esset humana, quam diuina, „meum enim, inquit, non tuum est opus., Sicut etiam Dionisius Areop: iam pridem dixerat: „Divinorum omnium diuinissimum esse, cooperari in salutem animarum:, seu vero a cruce manus reuulsit, vt promptiores, expeditioresque haberet illas, ad succurendum illi in tam arduo operi; seu, vt, cum ignis charitatis neque accendatur, neque conseruetur absque duobus lignis S. crucis, velut pie obseruat S. Bern: religio nostra in altissima charitate fundata, quippe quae voto obstringitur exponendi se etiam praesentissimis mortis periculis, ad conseruandum divini amoris igoem duo haec ligna pectori vicina perpetuo haberet: seu tandem vt vigilando diu, noctuque circa infirmos, lectus hic quietis temper iis praesto esset. Et certe si crux est ipsius charitatis currus triumphalis, haec iure illi debebatur, qui armatus charitate, pugnat contra mortem, „fortis enim, vt mors dilectio ; „vinces, triumphansque illam, his ergo aliisue similimis ex considerationibus perspicue eruitur, vocationem cooperandi saluti animarum, per assistentiam moribundis in agone, esse angelicam, atque diuinam.

## C A P V T II.

## De obiecto Ministri aegrotantium.

**P**raecipuum obiectum Ministri aegrotantium est salus animarum, probe itaque considerandum, quanti valoris sit anima. Siue creationem, siue redemptionem illius spectemus, indubium euadit, quod commutationem iuxta effatum Christi, pro anima nemo dare, sed neque pretium illius statuere quispiam mortalium valeat; vt adeo recte dixerit S. Ambrosius lib. 7. in Lucam; „Deus operis sui idoneus aestimator est., Vis scire quanti opus suum aestimauerit Deus? audi S. Augustinum sermone CCXXIII. de tempore „, anima cara et amica Possessio Dei, cuius causa formatum est coelum, et extensem est mare, fundata est terra; propter quam sol oritur, et occumbit. „Quare cum S. Gregorio Magno hom. 26. concludas velim,, si magnae mercedis est, a morte eripere carnem quamquam morituram, quanti est meriti a morte liberare animam in coelesti Patria sine fine victuram., Si magnum existi-

mas, quae Regis sunt, illi vindicare, ecce anima habet signum  
Dei viui, factus est enim homo ad imaginem et similitudinem eius,  
sciscitare ex te eum Salvatorem, „Cuius est imago haec?“ Redde  
ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo, „Quam  
praetiosa sit anima, si factori (ita inquit Eusebius Emissenus hom.  
2. de Symb.) si factori forte non credis, interroga redemptorem:  
„Vis scire (ait S. Chrysost. in psal. 48.) quantum sit pretium ani-  
marum, redempturus eas Vnigenitus, non modum dedit, non ho-  
minem, non terram, nec mare, sed suum pretiosum sanguinem,“  
teste enim S. Petro epis. I. c. 5. non corruptibilibus auro vel ar-  
gento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.  
„Tam copioso ergo, sicut habet Eusebius modo laudatus, tam co-  
pioso, inquam, munere redemptio agitur, ut homo Deum valere  
videatur.“ Sane qui animam aestimare nescit, neque sanguinem  
Redemptoris nouit aestimare, cogita immensa debita, quibus Deo  
obstrictus es, lucrare animam, et hoc pretio solues, sponsorem ha-  
bes Spiritum Sanctum per Apostolum Jacobum dicentem: „qui  
converti fecerit peccatorem ab errore vitae suae saluabit animam  
eius a morte et operiet multitudinem peccatorum. „Haec si rite  
perpenderis, exclamabis cum S. Augustino, totam spem salutis no-  
straes esse Zelum Dei.

## CAPUT III.

## De dotibus Ministri aegrotantium.

**A**ristoteles in quolibet bono Consultore tres praecipue dotes de-  
siderat: „Ut sit prudens, probus, et benevolus;,, has eas-  
dem dicerem ego in Ministro aegrotantium magnopere necessari-  
as, prudentiam nempe, probitatem, et charitatem. Per pruden-  
tiam autem intelligo hic praeter virtutem moralem, quae circa actio-  
nes versatur, quandam etiam Sacrarum literarum scientiam, quae  
discernendis, dijudicandisque temptationibus apta sit, atque suffici-  
ens. Hac itaque largiori sensu accepta prudentia quamquam ex  
communi Doctorum quilibet Sacerdotum praeditus esse debet, pe-  
culiariter tamen aegrotantium minister, ut P. Rossi e Societate  
IESV egregie ostendit in illa appendice, quam ad vitam Venerabi-  
lis Camilli, Fundatoris mei addidit: cum enim Institutii nostri pro-

prium sit, in fauorem moribundorum pugnare aduersus tartareas totius inferni copias, nequissima repellendo tela, quibus miserum infirmum confodere, aeternumque perdere rabie in placabili conantur; nemo non videt, literas nobis maximopere esse necessarias; cum praesertim contingat saepius, ut etiam cum haereticis, ac infidelibus rem habeamus, ad quos conuincendos, et ab errorum pertinacia in viam veritatis reducendos, opus esse non mediocri scientia, clarissime patet. Sed et propheticō oraculo ad scientiam hanc comparandam stimulamur, dicente Malachia: „Labia Sacerdotis custodient scientiam.“ Certe in angelico hoc ministerio diuinam aduentiam in vanum sibi promiserit, quisquis doctrina sufficienti se ad hoc idoneum reddere negligit: minae Domini audiantur per Oseam Prophetam: „Quia tu, inquit, scientiam repulisti, repellam ego te, ne Sacerdotio fungaris mihi.“ Atque hinc praecipiebatur in veteri testamento, ut Sacerdos veste indueretur, cui sonantia tintinnabula per circuitum limbi forent adnexa, „quia, ut ait S. Greg: „Sacerdos sine praedicationis officio incedere non debet,“ imo Deus funestam ei interminatur mortem, qui absque praesidio congruae doctrinae munus Sacerdotale suscipere praesumpserit.“ moriatur: „iram enim Dei in se prouocat, ut rursus idem Doctor subiungit. Centoculus proinde, ut ita dicam, esse debet minister aegrotantium, ut probe nouerit, quid qualibet in occasione expediat; quae doctrina ad illuminandum intellectum aptior; quae ratio ad expugnandum cordis duritiem efficacior; quae fiducia ad vincendam puerilinitatem accommodatior; qui terror ad frenandam somnolentiam opportunius; quod denique testimonium ad donandam perfidiam illustrius, considerando semper et locum, qui sit conuenientior, et tempus, quod sit fauorabilius, et modum dicendi, qui sit magis ad captum, et verba, quae sint penetrantiora, ut iterum praelaudatus Doctor; inquiens: „Pensare debet, quid loquatur, qui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur.“ Si enim ad morbum grauem, medicinam vero difficilem, accedat, ut etiam imperitus sit medicus; quid, amabo, misero infirmo tali in casu supererit sperandum? Neque mihi quis oggerat, S. Camillum, Fundatorem nostrum, magna hac doctrina non fuisse instructum, in lucrandis tamen animabus, tantopere excelluisse, ut post mortem visus fuerit amictus candida stola, variis stellis radiante, quae animas designabant, per eum coelo aquistas: si enim non claruit Fun-

dator noster eminenti illa scientia, at eximia praeditus fuit morum probitate, quam esse dixi secundam dotem ministro aegrotantium necessariam, quae certe si adsit, affatim supplebit defectum altioris scientiae: „ ipsa quippe suggeret vobis omnia, dabit vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarii vestri. „ Haec porro probitas, feroque spiritus nascitur potissimum ex vita solitaria, meditatione, et oratione; quae quidem moribundis tam est proficia, atque utilis, ut S. Jacobus afferere haud dubitarit. „ Oratio fidei saluabit infirmum. „ Sed et a S. Dionis: oratio vinculum vocatur bonorum operum; a S. Hiero: clavis paradisi, et repagulum inferni; a S. Ioan: Chrys: radix, et fundamentum omnium virtutum; a S. Bern: clypeus salutis; a S. Aug: „ oranti subsidium, Deo sacrificium, diabolo flagellum. „

Hinc in vita Patrum (a) legitur. Julianum Apostatam in expeditione contra Persas, suum quemdam familiarem genium in Italiam misisse, sed qui decimo die post plenus confusione ad eum reversus fuerit, remorae suae adsignans causam orationes Publii Monachi: „ Sustinui, inquit, per dies decem Publum monachum, si forte cessaret ab oratione. „

Tertia tandem dos ministro aegrotantium necessaria, est charitas, cui iuxta mentem S. Greg: Papae, omne onus sit leue, omnis acerbitas suavis, omnis amaritudo dulcis; neque animam hoc charitatis igne succentiam vnuquam aut obstaculis, aut difficultatibus, aut laboribus, aut incommodis, aut vigiliis, aut quibuscumque demum doloribus ab studio succurrendi proximo auocari, vel retardari posse; nam „ magistra bonorum omnia charitas ita exercet corda, et corroborat, ut nihil graue, nihil difficile existimet, sed fiat totum dulce, quod agitur; „ ab infirmo enim, cui ministeriat, viuae fidei ope coniicit mentis oculos in Deum, qui certe pro immensa sua bonitate, pulchritudine, potentia, maiestate, dulcedine, liberalitate, et magnitudine infinito amore est dignus: ut adeo huius charitatis non obscurum symbolum fuerint mala illa punica, quae tintinnabulis doctrinae, et orationis per extremitates Sacerdotalium vestrum intermisceri a Deo iubebantur. „ Ad pedes tunicas per circuitum quasi mala punica facies, mixtis in medio tintinnabulis, et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiat sonitus &c: et non moriatur: „ Exod. 28. Sed et facem illam

(a) Vitae Patrum a multis adscribuntur S. Hyeronimo,

accensam, quam vna cum tuba, doctrinae, et orationis typo, sub  
 vasis testaceis ad profligandos Madianitas militibus suis tradidit Ge-  
 deon, hanc praesigurasse charitatem practice docuit S. Camilius,  
 Fundator noster; quemadmodum enim illi ad tubarum clangorem,  
 faciumque ardentium splendorem, collisis fictilibus fuderunt, fuga-  
 runtque hostes; ita hic antequam infernales Madianitas, moribun-  
 dos arcta obsidione cingentes, in fugam coniceret; singulis nocti-  
 bus surgendo ad orationem, precum suarum buccinam inflabat, et  
 in assiduo infirmorum ministerio corpus suum, ceu vas quoddam fi-  
 ctile diffringendo, ostentabat pulchre lucentem in pectore charita-  
 tis facem. Rumpitur nempe testaceum vas corporis nostri, quando  
 aut concubia nocte somnus illi interrumpitur, aut in caloribus su-  
 dat, et niuibus alget; aut in faetoribus, abominandisque valerudi-  
 niorum foeditatibus, aegrotis ministrando patitur, et laborat;  
 ast eodem tempore fax etiam charitatis splendidissime relucet. quae  
 vt eo certius sum finem assequatur, qui est animarum salus, recu-  
 sare haud debet, ad corporalia etiam aegroti obsequia se se demittere.  
 Vnde et Fundator noster, vt animas lucraretur, talia etiam Ieru-  
 tia praestabat infirmis, quae propter abiectionem, faedamque vili-  
 tatem, et infimae plebi horrore esse, atque abominationi consueve-  
 runt, quin imo plane in tenebricosas descendebat cauernas, inuesti-  
 gando sollicite, si qui forte in illis quasi ante tempus misere sepul-  
 ti iacerent, repertosque in apertam lucem efferebat, suppeditando  
 adhuc spiritualibus optatissima quaeque subsidia. Nempe hanc virtu-  
 tem insinuare voluit Christus in animos discipulorum, dum stupen-  
 da humilitate et pedes lauit eorum, et ad mensam illis ministrauit,  
 disertis verbis commendans eam: „Exemplum, inquit, dedi vo-  
 bis, vt quemadmodum ego feci, et vos faciatis.“ Atque hoc di-  
 uino exemplo animati potentes huius terrae principes non erubue-  
 runt se se humiliare; vilissima ministeria, quae miseris homuncioni-  
 bus praestabant, sibi maiori gloriae ducendo, quam omnem rega-  
 lis solii maiestatem; gloriosam hoc pacto reddentes illam virtutem,  
 quae antea a mundo vt abiecta existimabatur, cultores eius ni-  
 hil praeter opprobria, et derisiones reportabant. Nunc tamen haec  
 charitatis officia, quae a Patribus nostris vilioribus in ministeriis  
 exhibentur, tantam in animis faciunt impressionem, vt haec tenus et  
 multi haereticorum in gremium S. Matris Ecclesiae redierint, et  
 non pauci ex turcis, atque in infidelibus sacro fonte abluti, veram  
 fidem amplexi fuerint.

## C A P V T I V .

## De monitis ad ministrum aegrotantium.

**Q**uoniam Ministri aegrotantium finis, est animarum salus, ad conservationem illius talibus, oportet, utatur mediis, quae praetereatis efficaciora, magis idonea vila fuerint. Porro aliqua horum necessaria sunt, ut suscepitio Sacramentorum; alia tantum congrua, et ad fines multum expedientia, sicut officia charitatis, quae ad felicem transitum infirmo exhibentur. Interea praemittuntur quaedam monita, omnibus iis longe utilissima, qui vocante Deo in angelico hoc ministerio versantur.

Primo itaque omnium, probe consideretur diuini huius negotii; quod est cooperari saluti animarum, grauitas; quod ut prodigitate tractetur, multis cum Deo precibus agendum; omnia incommoda, molestiae, et labores cum alacritate sustinenda, prout Christus, et fideles eius servi fecerunt; quod ut obtineas, procurandus erit eximus quidam feruor spiritus, quemadmodum par est in exercitio tanti momenti, unde pendet aeternitas.

Secundo. Det operam, ut quantum fieri potest, tempestive ad infirmum accersatur, qui peragat suam sacramentalem confessionem, dum adhuc viribus mentis valens est, atque robustus; procul eliminando perniciosum illum abusum, quo a cognatis aliisque domesticis omnis mentio de necessaria ad mortem praeparatione stricte prohibetur, ne secus terreficeret aeger; unde saepius euenit, ut vel absque Sacrementis miser moriatur, vel tunc tantum vocentur Sacerdotes, quando iam locus disponendi eum, non est amplius. Proinde consultum foret, sub principio statim aegritudinis de conformitate voluntatis nostrae cum Deo prudenter differere, ut ita aegrotus iam praeuiae dispositus, cum minori perturbatione nuntium mortis audire possit, dum illa vicina est; id quod medici sollicite curare debent.

Tertio. Cum dexteritate inuestigandum erit in naturam, conditionem, et statum infirmi; cuius fuerit professionis? quibus moribus? suscepitne Sacraenta? teneaturne ad famae, aut rei alterius restitutionem? non foueat odium, aut inimicitiam contra aliquem? non alat domi suae personam, quae omnibus modis fit di-

mittenda? si horum aliquid sit, caute procuretur, vt seu ipse infirmus, seu domestici eius opportunum remedium absque cunctatione adhibeant.

Quarto. Accendens ad infirmum benigne eum salutet, aqua iustrali lectum adspergendo, et preces aliquas super eum cum affectu teneritudinis, et compassionis recitando. Verbis etiam consolationis vtatur, cum adhortatione, vt libenter ferat infirmitatem illam, quae a Deo ceu medico coelesti non est certe immissa, nisi ad animae salutem. Cauet nihilominus, vt sermo sit nimium prolixus, quippe qui taedium magis, quam leuamen infirmo generare consuevit. Si vero aeger statum morbi enarrare vellet, absque interruptione eum auscultet, nouam inde ansam capiendo, de rebus spiritus cum illo colloquendi; absit autem, vt infirmo salutis recuperandae spem certam faciat, sed neque conclamatum dixerit de eo; periculum duntaxat ostendat, cui omnes sumus obnoxii, ita tamen, ne terreatur aeger, et eo solum fine, vt ad exequenda salutaria consilia facilius inducatur. Quodsi periculum iam imminens foret, et infirmus non adhuc plene dispositus cognosceretur, sedulo curandum erit, vt proponantur ei Sacramenta, ceu remedia praezentissima, quibus, si animae expedierit, corporis etiam valetudo facile recuperari queat. Queis in omnibus semper diligenter attendenda erit personarum qualitas, vt cum doctis, et eruditis paucis agatur, (a) sed succose, et neruose, constanter fugiendo vanam ostentationem; vnde prae omnibus modestia, et humilitas effulgeat.

Quinto. Si infirmus nondum esset confessus, absque mora ad confessionem disponatur; vt eo celerius, si vtile fuerit, sanitatem corporis a Deo consequatur, pleraque enim omnes infirmitates originem ducunt a peccatis, vt Regi Asae euenisce adfirmat S. Joan. Chrys: „Veniunt, inquit, et morbi propter peccata, sicut in libris Regum quedam vidimus propterea podagra laborasse.” Exigitur ad elicendos actus contritionis, proponendo illi, quam grane sit, offendere Deum, et cum eo viuere in inimicitia, qui omnipotentia sua dat nobis, vt existimamus, sapientia, vt intelligamus, bonitate, vt mereamur, patientia, vt perseueremus. Quodsi infirmus sermonem de Deo non admitteret, neque ullum contritionis

(a) Prudentes tamen huius saeculi non illico pro eruditis habeantur, quos constat soepe numero rerum spiritualium admodum esse rudes.

nis signum praebet, causa huius sollicite infaganda erit; si forte hoc evenit ex impatientia mali, aut salutis desperatione, aut intestino odio inimici; quacunque demum ex ratione id contingat, de opportunis remediis diligenter cogitandum. Si vero delirium in causa foret, orandus est Deus, ut illuminet eum; ad se redeunti cuncta subministrentur, quae erunt necessaria; porro nequaquam propterea locus sinistris iudicis pateat, quod infirmi grassante delirio talia interdum proloqui audiantur, quae non sint ad rem, foeda, obscaena, et contra omnem decentiam. Proinde ut huic etiam malo tempestive occurratur, danda erit opera, sicut iam superius monui, ut confessio sub principio statim infirmitatis peragatur, potissimum, quando periculum subuersatur aut in delirium incidenti, aut usum loquelae amittendi.

Sexto. Infirmus ad faciendam confessionem iam bene dispositus, si cupiat iuvari a Confessario, iuuetur, proponendo ei interrogations super punctis praecipue, quae statum, et conditionem illius proprius contingunt. Si vero in confessione casus prodirent, qui restitutionem aut famae, aut rei alienae postulent, procuretur, quod possibile fuerit, ut illa ab ipsomet infirmo executioni mandetur; id quod experti Confessari prudentiae permittitur, sicut etiam publici scandali sublatio, inimicitiarum reconciliatio, aliaque horum similia: curando tamen semper, ut infirmus sincere promittat, se recuperata salute, melius posthac iuxta regulas christianas vivetur; erit etiam exhortandus, ut rebus domesticis, aliisque negotiis temporalibus tempestive consulat, tum ut litibus hac ratione obuiam eatur, quae alias forte aduersus haeredes obmoneri possent, tum etiam, ut omne periculum bonaee existimationis procul amoveatur; accedit, quod mundanis his curis solitus, animo pacatori, et maiori quiete animae saluti vacare queat. Quam diligentissime autem aduertatur, ne in omnibus ipsis unquam ad particulaaria descendamus, aut rem talem suadeamus, quae in praeiudicium tertii redundare possit, a cunctis odiosis sollicitate abstinendo. (a)

Septimo. Compositis bono ordine domesticis rebus, et Sacramentis rite susceptis, stimuletur aeger, ut deinceps uoice in negotium salutis aeternae incumbat, missas faciendo omnes alias cogitationes, quae mundum redolerent. Ad quem finem accersendi erunt ad aegrotum Sacerdotes, in tempore tamen, dum sensus adhuc

---

(a) Vide quae monuimus in pastorali nostra.

huc vigent, nec viribus mentis est adhuc destitutus; alioquin protestationes illae, quae tali occasione fieri solent, et spirituales adhortationes omni prorsus fructu carerent, neque infirmum ad felicem transitum vlla ratione praepararent. Certe plerique quoad hoc finunt se a diabolo turpiter decipi, differentes vocare Sacerdotes ecusque, donec iam pene conclamatum est de vita: qui tamen, si probe scirent, quantae sit utilitatis Sacerdotum habere adstantiam, in iis mature accersendis profecto tam segnes non essent. Cumno Dominus de Malaurch, quadraginta annis vitae suae flagitiose exactis, cum post tres tantum pie consumptos annos in agonem venisset daemon ex ore obseciae cuiusdam faeminae fassus est, quindecim suorum millia in damna eius solertissime quidem vigilare, sed qui nullum haec tenus nocumentum ei intulerint, quod perpetuis clamoribus degenerum Clericorum (ita per ignominiam Patres nostros vocitabat) repulsi, nec prope aegroti lectum accedere potuerint, legantur hac de re memorabilia exempla complura in quarto, et quinto capite libri tertii de vita Fundatoris nostri.

Octauo. Antequam aeger vsum loquelae amittat, erit exhortandus, vt eleuando se se super omnes terrenos affectus, vnice ad caelum adspiret; se Deo commendet; totum se diuinae voluntati conformet; omnem dolorum acerbitudinem, ipsam mortem etiam amore illius libenter ferens, qui eum ad se hac via euocare cupiat, qui que, cum summa sit bonitas, nihil prorsus mali de nobis statuere possit. Proinde in diuina eius misericordia confidat, inuocando beatissimam Virginem, Sanctos Angelos, reliquosque caelites: sed et in fide firmus stet, ac immobilis, eliciendo frequentes actus fidei, spei, et charitatis; contra tentationes enim diaconi praesentissimo remedio sunt, actus eiusmodi crebro ex animo repetiti, non est consultum de rigore iustitiae Dei, aut acerbitate poenarum inferni, vel de peccati grauitate multum sermonem miscere; sed potius in eo sit totus, vt veram illi confidentiam inspiret, auocando nihilominus eum ab omnibus iis, quae quoquo modo vanam gloriam excitare possent.

Nono. Danda est opera, vt e cubiculo infirmi cuncta remaneantur, quae mentem eius distrahere possent; puta, arma, imagines lasciviae, aut etiam personae, quae occasio peccati aliquando fuerunt. Non quaeratur a vulneratis, a quo sit vulnus inflictum, neque qua ratione res successerit? et si quando talia interroganda

venient, procedatur caute, neque discursus moueantur de re familiari, de litibus, vxore, liberis, aliisque similibus, sed in Sacro potius silentio orationi vacetur, aut piae lectioni.

Decimo. Diligenter inuestigandum erit, in quo aeger potissimum a diabolo tentetur; deprehendet certe doctos, proprii iudicii tenaces, Deique parum timentes plerumque pulsari temptationibus fidei; peccatores obduratos desperatione; impatiens blasphemia; spirituales vana gloria, et praeumptione; suspiciosos variis suspicionibus tam contra medicos, tam etiam eos, qui sunt illis a feruicio, plerumque etiam timore mortis immoderato; eos vero, qui longa peccandi consuetudine laborant, noxia credulitate daemon solet deludere, extenuando malum, quo premuntur, et spem recuperandae salutis quasi certam promittendo. Quapropter docti, ac literati ad crebro eliciendos fidei actus excitentur; peccatores dissoluti ad fiduciam humilem in misericordia Dei; spirituales ad profundam humilitatem, gratiarumque actionem pro suscepitis a Deo tot, tantisque beneficiis; impatiens ad ferendam aequo animo infirmitatem; suspiciosi ad noscendas diabolicas fraudes, et dolos; consuetudinarii ad considerandam caducae vitae huius breuitatem, grauitatemque periculi, in quo omnes, ii versantur, qui lese ad mortem in tempore non disponunt.

Vndecimo. Ab infirmo is agone iam constituto nequaquam recedatur; iuxta eum antem manendo, unus, alterue pius affectus illi opportune suggestur, potissimum vero afferantur salutares quaedam sententiae, (a) quae idoneae sint aut ad excitandum de peccatis dolorem, aut ad firmandum propositum Deum non amplius offendendi, aut ad roborandam spem in djuina misericordia, aut ad tolerandum patienter praesentem agonem, aut ad conciliandam in fide perseverantiam, aut ad contemplandam beatorum gloriam, aut deuine, et praeципue ad meditandam Passionem Christi, repetantur etiam saepius Sanctissima I E S V, et Mariae nomina; aeger signo crucis, et aqua lustrali adspergatur saepius; reliquiae quoque Sanctorum applicentur, summe formidolosae daemonibus, ut adfirmat S. Joan: Chryso: legantur deuotae orationes, maxime, quae sunt compositae super passionem, et mortem redemptoris; candela benedicta, donec infirmus expirauerit, semper accensa te-

---

(a) Sententias breves esse opportet, ac una affectum ciere debent, atque hunc in finem adiecimus quaedam in appendice I.

neatur; agonizans frequenter benedicatur; neque id a mulierculis fieri sinatur, quae non raro intrudentes se se, hoc officium sibimet usurpant; Porro singulariter caneatur, vt haec omnia vtv pia, et Sancta neque prolixo nimis sermone peragantur, neque adeo crebro repetantur, praeprimis si aeger sit valde aggrauatus; alias facile posset euenire, vt ad impatientiam miser prouocetur; praefat proinde maioris temporis partem facris precationibus impendere, iuxta illud Apostoli: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum.

Duodecimo. In tactibus manuum, nasi, aliarumque iam frigescientium extremitatum valde caute procedendum erit; quum enim isti consueuerint adhiberi ad explorandum, an mors iam vicina adsit, possit illis maximopere aeger perturbari, si praesertim plene sibi conscientius sit, integrisque viribus mentis adhuc valeat. Iam quod cibum, potum, aut motionem infirmi in agone constituti attinet, ab omnibus caute abstinentiam erit; sub est enim periculum, vt per haec mors acceleretur.

Tertiodecimo. Interrogatus tempus, et horam, qua infirmus morietur, nihil certi circumstantibus respondeat, sed rem totam aut in dubio relinquat, aut silentio premat, cum enim hominis vita aequa, ac mors a Dei solum voluntate pondeat, temerarium vtique foret, diuinum hac in re velle agere, cum periculo propriæ existimationis, si nempe aliter eueniat, quam diuinatum fuerit.

Quatuordecimo. Singulari studio curandum erit, vt dum aeger in extremis est, et iam cum morte luctatur; piis aliorum orationibus adiuuetur; quod vt abundantius obtineatur, e re quam maxime foret, aere campano signum pro agonizante dare; praeter preces etenim, quas hoc signo excitati fideles, pro moribundo devote fundent, pro ipsis etiam bene valentibus eximia inde emolumenta promanarent. Quis namque ad tristem illum mortuallis campanae sonitum e somno vitiorum non expurgiscatur? aut si est in actuali peccandi occasione, totis artibus non contremiscat, dum se singulis momentis mortalem cogitat? huic profecto in finem Deus interdum per miraculum etiam campanas tam pio usui destinatas pulsari voluit. In vita S. Idæ, Abbatissæ a Ven. Beda descripta legitur, campanam eiusmodi per prodigium fonisse, hocque sonitu moniales excitatas fudisse preces pro sorore in agone constituta.

Quintus

**Quintodecimo.** Infirmo iam defuncto, non statim os claudatur, neque oculi, et facies velentur; hac quippe ratione mors posset accelerari, si necdum expirasset, prout soepius iam contigit, ut ita miseri infirmi suffocarentur; aliquantis per proinde expectandum erit, donec psalmus Miserere, aut aliae orationes pro mortuo recitentur.

## C A P V T V.

### De horrore mortis, eiusque remediis.

**M**ors terribilium omnium terribilissimum, tribus potissimum nominibus omnibus quidem, sed praecipue peccatori horrorem incutere consuevit; scilicet ob amissionem mundi, bonorumque eius; ob separationem animae a corpore; et ob ferociissimos assultus infernalis tentatoris: „Mors peccatoris mala est in amissione mundi; peior in dissolutione carnis; pessima in tormentis inferni:„, et ideo ait S. Bernardus, „est illi horror inexitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriae magni Dei.„ Profecto ex hoc mundo emigrare, horibile est; ab amicitia tam arcta corporis diuelli, dolorosum; plenum terroris, et formidinis transire per ignotam regionem, nudumque, et solum constitui in conspectu Iudicis tam tremendi. Proinde aduersus tria haec horroris obiecta, opportuna remedia adhibenda erunt, quo miser moribundus minori, cum sensu fatalem hunc ictum excipiat, animaque illius securius consulatur. Ad mitigandam itaque acerbitatem ex ammissione bonorum huius mundi, proponenda est eorum vanitas; sicut ex aduerso interminabilis felicitas coelestis Patriae, quae nos expectat: ad leniendum autem dolorem, qui ex infirmitate, et morte vicina nascitur, meditanda erit Christi passio, Sanctorumque eius, qui sine vila comparatione longe grauiora perpellit, per haec aeternam adepti sunt gloriam; ad superandas porro diaboli tentationes plurimum proderunt actus istis contrarii, puta contra infidelitatem actus fidei, contra desperationem, actus spei, contra vanam gloriam actus humilitatis, et sic deinceps pro ratione temptationum diuersos, contrariosque virtutum actus eliciendo, de quibus mox differetur; et quidem primo

## C A P V T . VI.

## Contra timorem mortis.

**V**t infirmo hunc timorem adimamus, persuadendum est ei, mortem compagem corporis nostri dissoluendo, dissoluere simūl, et rumpere repagula tēterrī illius carceris, ad quem, dum vivimus, misere ad vnum omnes condemnati sumus; hinc regium Psaltem hanc sui liberatioem indesinenter suspirasse: „educ, inquit, de custodia animam meam;„ vt enim recte S. Ambro: „mors requies est corporis, animi autem vel libertas, vel absolute. Ob oculos etiam ponatur illi, esse mortem velut portum quendam securum post periculosa navigationem; esse velut metam laboriosae peregrinationis nostrae; esse finem, et terminum omnium miseriarum. Vnde merito S. Aug., quid est, inquit, diu viuere, nisi diu torqueri? cui concinens moralis Philosophus: „veritatem intuenti, ait, omnis vita supplicium est,“ quam ergo sine miseriis, et calamitatibus viuere non liceat, quid est, amabo, cessare viuere, quam cessare pati? reflectatur infirmus, omnibus, qui nascuntur, moriendum esse, neque aliter nos in hunc mundum fuisse introductos, quam sub hac inviolabili lege; hic quippe hospitium dūtāxat conceditur nobis, et non perenne domicilium; viuaeque huius usura, sicut alicuius pecuniae datur hominibus, quin tamen tempus usus illius certis praefiniatur limitibus; vt proinde sine ratione in querelas effundamur, quando ea repititur a nobis, dum illi placet, qui eam concessit; imo quandam ingratitudinem redolet, non esse contentum illo temporis spatio, quod gratis donatum fuit, beneficiumque Creatoris non agnoscere, qui vitam nostram tamdiu prorogarit, aliis etiam cedendus est locus, vt quid insatiabiles sumus? „Vnde cunque voluerit Deus, vt ex eas, hinc paratum te inueniat, ait S. Aug. domus ista tibi locata est, non donata, et non eam tali conditione accepisti, vt quasi tempora certa tibi sint; inquilinus es in terra, possessio eris in celo;„ in quod tamen, nisi per mortem tamquam per ianuam nullus patet ingressus; et ideo Sancti illam tam ardeenter desiderarunt, vt etiam per crudelissimas persecutions obuiam ei euudem censerint; vt praecclare enim S. Bern: mors iusti vt praesentis est exitus vitae, ita introitus melioris. Et certe quis stupor, transitum ad

meliorem vitam non suspirare, siquidem in praesentia miserere vi-  
uatur? quodsi autem bene, et prospere; numquid tamen mori me-  
lius non est, ne fors vitae huius prosperitas in transuersum nos a-  
gat, sicut iam multos alios egit? quot gemunt hodie damnati in  
inferno, qui si in iuuentute mortui fuissent, salvi forent? O quan-  
to cum amore ciues beatae illius Patriae ad se nos inuitant! quam  
ardenti desiderio maiores nostri eonos expectant! testem appello S.  
Ciprian: „Magnus, inquit ille, nos chirorum numerus illic expe-  
ctat, parentum, fratribus, filiorum; frequens nos, ut copiosa tur-  
ba desiderat, iam de sua immortalitate lecura, et ad huc de nostra  
salute sollicita; ad horum complexum, et aspectum venire, quan-  
ta illis, et nobis laetitia? amplectamur diem, qui assignat singu-  
los domicilio suo, et laqueis secularibus exolutos Paradiso restitu-  
it, et regno coelesti: „

Sed forte dubitamus, ne non Deus beatam illam vitam nobis  
largiatur; at quomodo? si eam nobis fideliter promisit, liberalique  
hac promissione debitorem se nostrum constituit? verum tamen ut  
hac immortali vita potiamur, mortis tributum prius soluamus, oportet;  
quod cur tristes, et inuiti soluamus, postquam illud omnibus,  
et absqueulla exceptione est pendendum? nonne enim hic mundus,  
„regio est morientium? ut bene S: Basilius: si quo viuitur diutius,  
tanto timetur vehementius, ut quid moleste ferre remotionem cau-  
sae timoris? „non est timendum, quod nos liberat ab omni tre-  
mendo, docet Tertulli: Quodsi velimus, nolimus, moriendum semel  
est; cur non illud voluntate suscipiamus, quod ineluctabili ne-  
cessitate est faciendum? nonne mortis amaritudo hac ratione mirum  
quantum decresceret? mors Christi quanto fuit acerbior, qui tamen  
se illi sponte subiecit: „oblatus est, quia ipse voluit? „ docere  
scilicet nos voluit, mortem ceu scalam esse in Paradisum, testante  
Apostolo: si compatimur, inquit, et congloriscabimur, deinde num-  
quid Christus, per voluntariam hanc mortem, nostram minus for-  
midabilem non reddidit nobis? quemadmodum cum iubilo canit  
Ecclesia: mortem nostram moriendo destruxit: Profecto haec Chri-  
sti mors tutatur nos in agone, causam nostram agit, atque ut quan-  
tocius gloriae beatorum dotibus coelesti in Patria resplendere  
valeamus, efficaciter procurat. Ut tamen haec reapse consequamur,  
hancque caducam vitam cum aeterna, et immortalis commutemus,  
necessitatem, „vitam hanc quasi faenebrem pecuniam morti tradamus,

vti apposite S. Ambro. Sed inter omnes rationes obeundi mortem cum tranquillitate, praecipua sit: Deum ita velle, ad quem vt verum Dominum pertinet, nos ex hac vita euocare, non quando nobis placet, sed dum ipsi lubet; qui tamen pro suo in nos amore omnia cooperabuotur in bonum, si diligamus, audiatur ergo consilium, quod suggerit Sapiens: „In tempore, inquit, infirmitatis ostende conuerstationem meam.,, Eccl. 18. tunc enim vel maxime tempus est, virtutum specimina edendi.

## C A P V T . VII.

Contra horrorem mortis ob amissionem mundi,  
bonorumque eius.

**N**ecessitas imperpetuum valedicendi mundo; diuitis, honoribus, voluptatibusque eius nunquam amplius fruendi; omnes insuper amicos, consanguineos, et parentes amittendi: negari non potest, quin valde dura, ac sensibilis iis praesertim sit, qui dum bene valerent, his omnibus cor affigebant. Proinde ad hebetandum hunc doloris sensum proponenda est infirmo rerum terrenarum vanitas, quae instar hederae Jonae Prophetae tum repente marcescentes arcescunt, cum iucundissime virere credebantur: potest etiam mundus apposite comparari alicui historico monumento, quod sanguineis lacrymis, et non atramento descriptum, dum funetissimos quosque euentus nobis ob oculos ponit, eadem opera luculentter ostendit, bona huius mundi non esse, nisi frontispicia ad fallidos oculos fabrefacta, vanaque ornamenta prospectuiae. Sed neque ob similem dixeris mundum superbo illi palatio, in quo olim filii Job opipare epulabantur; fuit nempe illud „vna, eademque hora et domus, et sepulchrum illis,, vt obseruauit S. Ioan: Chrys: Porro Episcopus Drago petulcenti perduellis Absalonis mulo mundum assimilat, qui se se derepente nobis subducens, infelici arbore propriis capillis suspensos relinquit, et tribus lanceis crudeliter transverberatos: neque aliud designabat, quam hunc eundem mundum, mysteriosa illa Nabuccodonosoris statua, quae vt erat quatuor celebriorum Monarchiarum prophética imago, ita vndique ferociissimis cingebatur belluis; in mundo enim quo maioribus diutiis,

hono-

honoribus, et voluptatibus affiuimus, eo etiam periculis subiacemus maioribus: Vere sunt flores deliciae huius mundi, qui cito marcescunt, sicut tremulus, radiorum splendor, qui a praeterflente reuerberantur; sunt numbra fugax, quae nunquam in eodem statu permanet: et diuitiae? nonne illae sunt fortunae inconstantis fallacia munera, quae immenso labore adquiruntur, anxiō timore custodiuntur, et acerbo dolore amittuntur? quid sublimes honorum gradus? num quid sunt illi seu totidem altissima culmina, vnde tam crebrae, tamque luctuosae ruinae? quid magis prostat indigentis fortunae horrendis fulminibus? aut quid perpetuis vicissitudinibus obnoxium magis? quid tandem honores? nonne sunt et illi fumus, et vapor, eo euantes celernis, quo adsurgunt sublimius?

Demonstrata itaque hoc modo rerum mundanarum vanitate, ostendatur infirmo, quae e contrario, et quanta Deus in cœlo præpanerit diligentibus se; ibi nempe iusti exaltabuntur sine metu ruinæ, honorabuntur sine obtrectatione, semper in affuentia, semper ridentes, venusti, et decori semper: bona quippe coelestia umbram etiam mali respouunt, sunt pura, sunt aeterna, sunt immensa, nullis temporum durationibus obnoxia, o quam stupenda ibi rerum pulcherrimarum varietas! quam dulcisona resonabit cantuum harmonia! vt proinde vitae praesentis amatoribus iure exprobret S. Bern: „Quousque tu, inquit, tantæ gloriae præfers faenum, quod hodie est, et cras in clybanum mittitur? certe S. ille Senecio Simeon, mortem ceu somnum quemdam suauem reputabat, cum diceret: „Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.,, Probans scilicet, et contestans, vt subiungit Ciprianus, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, et tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis, et securitatis aeternæ portum petunt.,, Imperator quoque Ludouicus, huius nominis secundus, Caroli Magni filius, cum morti esset vicinus, in coelum elevatis oculis, gloriaeque coelestis felicitatem cum iucunditate contemplans, sereno, rideantique vultu in manus illius Domini spiritum reddidit, quem dum viueret, alte corde impressum semper gerebat. Thomas autem Morus, celebris ille in Anglia Cancellarius, cum ad mortem ignominiosam esset condemnatus, quod Regis sui Henrici octauai incestis nuptiis consentire recusaret; et ab vxore sua parvulis prolibus stipata, profundeque maerente in squallore carcerum visitatus; dum audiret ab ea singultienti ore proponi, et reconciliationem cum Regia Maiestate, et restitutionem bonorum omnium,

et liberationem a carcere, infamia, ac morte, et denique recuperationem honorum, exaltationemque familiae cum saenore; dummodo Regis voluntatem suffragio suo vellet approbare: et quamdiu, aiebat, charissima coniux, putas nos hisce rebus frui posse? respondi vero: minimum per viginti annos: tum Morus: Et pro viginti aonis, inquit, vis me felicem aeternitatem commutare, in qua semper anima mea est regnatura? Stulta mercatrix es Aloysia: Si ergo Thomas tam generose mortem contempsit, et mortem quidem ignominiosam; qui fieri potest, vt nobis hanc terram deserere, illiusque vanitatibus renunciare durum videatur, qui sine vita comparatione minus in hoc mundo possidemus? possibilene est, vt maioris faciamus liberos, facultates, miserisque recreations nostras, quam Paradisum, animam, Deum? ipsi adeo Mauritaniae populi, ut immites adhuc, et barbari, intellecto ab euangelico praecōne, qui primum illis in aperto campo veritates fidei annuntiabat, coelorum amplitudinem bonis fidelibus a Deo in aeterna tabernacula promitti; prae gaudio illico prosilientes, festueque tripudiantes mutuo sibi gratulabantur, exultabundi identidem repetentes. Si res ita se habet, valeat mundus, omnesque res, quae in eo sunt; quorum in hac terra diuitius commorari? coelum, coelum, petendum est nobis. Quies omnibus probe ponderatis, exuamus tandem omnem mundanum affectum, contemptaque rerum terrenarum vanitate, serio nos praeparemus ad obeundam felicem mortem. Mortuatur anima mea morte iustorum; certe si illorum vestigia secuti, hoc fecerimus, de nobis quoque olim cum veritate dici poterit: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Evidem quod ad me attinet, non tam tristor me esse mortalem, quam gaudeam, me simul esse etiam immortalem; Deum quippe, aeternitatem, et animam aeternam longe pluris, quam mundum aeternum, carnem, et momentum; ipsae adeo aerumnæ, eo sunt mihi chariores, quo grauiores accidunt; per illas enim doceor spernere vitam praesentem, et desiderare futuram.

Porro iis, qui pauperem post se reliquunt familiam, filias nondum dotatas, lites hucdum pendentes, negotiaciones non adhuc terminatas, vxorem fraudibus, et dolis auaræ consanguinitatis expostam, &c: iis, inquam, de Dei in omnes, et singulas creaturas suas prouidentia neruose discurrendum erit; si enim Deus etiam

irrationalium curam gerit, quanto maiorem nostri habebit, qui ad eius imaginem, et similitudinem sumus creati? pauperum certe maximam habet, vt pote qui, teste Jacobo Apostolo, peculiariiter sint a Deo electi. „Nonne elegit Deus pauperes? „Factus est Dominus Refugium pauperi „vt regius etiam Psaltes adfirmat. Ob paupertatem itaque tantum abest, vt quis in extrema infirmitate debeat turbari, vt propterea potius salutem animae suae maiori cum fiducia sperare possit. „Pauper enim, vt loquitur S. Joan: Chrys: quanto in hac vita inferior est, tanto in futura bonis operibus abundabit., Deus ipse, vt palam faceret, quoniam pere diligit paupertatem, pauperem elegit Matrem, natus pauper, vixit pauper, mortuus est pauper; adeo vt etiam quae ad sepulturam eius erant necessaria, aliorum pia liberalitate voluerit comparari, sicut sunt linteamina, aromata, sepulchrum: Nonne etiam in discipulis, et ad Apostolatum assumpsit miseros, egenosque piscatores, tanti semper, et ubique faciens paupertatem, vt in commendationem illius memoranda haec verba pronuntiarit: „Qui non renuntiat oīaibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.

Si qui vero in flore aetatis ad agonem veniunt, illis in memoriam reuocandum est, Deum esse vitae, et necis Dominum; a cuius voluntate vtraque ad amissim pendeat, iuxta illud Jobi: „Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt„ quod autem in aetate iuuenili vitae filium velit abrumpere, hoc eum haud facere, nisi in bonum nostrum; facile enim posset contingere, vt viuendo diutius, tunc uno, aut altero inopinato casu vitam amittamus, quando haec absque iactura boni nominis, rei familiaris, plerumque aeternae etiam salutis amitti nequaquam posset; quod Deus futuri praescius, vt a nobis auerteret, hoc potius tempore, morti nos subiacere sioit, iuxta illud Sapientis: „raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius„ quod Menander quoque affirmit: quem Deus amat, inquit, moritur iuuenis. Quodsi forte reponeret infirmus: se furentius Deo servitorum fuisse, si diutius viuere licuisset: respondeatur: mundum diuersorio esse similem, ubi quo longius commorarum, eo maiora debita contrahimus. „Quanto vita est longior, tanto culpa est numerosior; quotidie crescunt mala, et subtrahuntur bona„ ait S. Ber: Christus quoque in florenti aetate mortem pro nobis subire voluit, sicut eti-

am Sancti complures virentibus in annis de medio sublati sunt. Diuinæ proinde voluntati se plene conformet, vt hoc virtutis actu et paradisi gloriam mereatur, et poenam peccatis debitam ex parte saltem expungat.

## C A P V T VIII.

## De dolorum consolatione.

**M**ortis dolores esse amaros, horribiles, sensibus infestos, totique naturae contrarios, nemo nescit; spasmi neruorum, muscularum contusiones, conuulsio intestinorum, viscerum inflamatio, cordis palpitatio, crebra deliquia, singultus mortales, respirationis difficile, halitus graues, fastidia violenta, extrema denique viuum defectio sunt visitata illa mala, quibus mors miserum infirmum aggredi consuevit; haec tamen omnia vix dura, et acerba, non sunt eiusmodi, vt virtute patientiae leniri haud queant; hac itaque virtute velut forti quodam scuto munire se debet infirmus, cogitans omnibus hisce miseriis ex innata fragilitate se esse subiectum; lamenta enim, et questus, in quos ex impatientia prorumpimus, nedum mitigent dolorem, illum exasperant, Omnis indignatio, ait Seneca, in tormentum suum proficit; vnum est leuamentum malorum etiam ingentium, pati, et necessitatibus suis obsequi, facientes ergo ex necessitate virtutem, aequo animo feramus mala; immoderate enim de illis dolere, et conqueri non est, nisi voluntati Dei repugnare, qui utique has aerumnas ideo nobis immittit, vt olim in coelo aeternum illas coronet. Patientia si non omnem doloris sensum adimit, certe illum diminuit, et addendo animae vires, tolerabiliorem facit; impatientia e contra exiguum etiam dolorem velut immanem imaginatur, sicque augendo mala, animum misere deiicit, ipsa profecto doloris magnitudo finem non procul abesse satis insinuat, dum sicut extrema gaudii luctus occupare solet, ita e contrario extrema dolorum gaudium excipere debeat; sint ergo dolores quantumlibet atroces, erunt breves fane, vt enim rursus Seneca: „Nemo potest diu dolere, et valde, infirmitas palaestra est virtutum, et vitiorum excidium, vnde S. Bern: „Bene pungeris, si compungeris;,, dolores autem, qui ex illa sentiuntur, sunt retia, quibus piscemur merita, sunt spongeiae, quibus

quibus delectamur delicta, sunt nummi, quibus mercemur Paradisi Regna; dolores quippe aequo animo tolerati, velut magnes ferrum, ita Deum ad nos attrahere consueuerunt; ut enim praeclare Sapiens: Infirmitas grauis sobriam facit animam,, dum scilicet inficta poena emandatur culpa ; nam „, licet is, qui foris est noster homo corruptitur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem,, vt docet S. Paul: morbi proinde nobis a Deo immittuntur tum vitae ante actae emendationem, tum etiam, ut magna exinde bona consequamur, qualia sunt, cognitio propriae imbecillitatis, detectio mundanae vanitatis, auulso a rebus terrenis, repressio appetituum sensualium, recordatio denique, qua recolimus nos in hac terra esse peregrinos, et non ciues, „, quo circa apposite Saluianus; „, Mihi, ait, genus quoddam sanitatis esse videtur, hominem interdum non esse sanum,, si autem morbus tam esset gravis, ut omnem respuat medicinam, tum solandus est infirmus spe celerioris eliberationis ex hoc mortali carcere; certe ruinosa domus corporis nostri, si cogit nos inde exire, stimulat simul aliam querere, quae sit aeterna „, nam virtus in infirmitate perficitur, et teste Naziano, „, anima morbo affecta, Deo propinqua.,,

Porro persuadeat sibi aegrotus, dolores, quos in aegritudine patitur, similes esse decumanis illis diluuii fluctibus, qui tantum absit, ut arcae animae suae ullum inferant nocumentum, ut potius, si aequo animo illos ferat, versus coelum eleuent illam, procul remouendo ab ea omne periculum illidendi in syrtes, et scopulos mundani huius maris: equidem morbi, et dolores sunt sagittae vibratae ab arcu Dei, sunt sagittae tamen similes illis, quae olim a Theodosio Imperatore in amicos euibrabantur, aureae enim cum essent, tum eos locupletabant, quum ferire viderentur; sunt etiam ignis, quo, ut aurum, purgetur electus; et lactucae amarae, queis possit paschalis solemnitas celebrari; munera tandem, quae dilectis suis dispensat Deus; quoniam vero secundum Philosophum amor „, est velle alicui bonum, eo, quod bonum ipsi „, oportet profecto dicere, aerumnas, et calamitates, quibus a Deo dilecti adfiguntur, non esse, nisi partem eorum meliorem; alias hocce sequeretur absurdum, aut ignorare Deum, quid bene meritis dandum veniat, aut de industria dare, quod illis vergat in detrimentum, quam blasphemiam Christus proprio ore repellit a Deo, dum dicit: Beati, qui lugent. Pauper, quaeſo, obſeruetur, quomodo

Deus tractauerit chariores suos, ethonoratores seruos, iater Apo-  
stolos Paulum, inter Pontifices Gregorium, inter Monarchas Lu-  
douicum Regem Galliarum; nonne hi omnes flagellati sunt ab eo,  
in animo quidem taediis, in corpore infirmitatibus, in facultate  
variis infortuniis? amor quippe, quo Deus famulos dignatur, non  
sinit eum considerare res, prout in se sunt bonae, sed prout sunt  
bonae intuitu eorum, qui amantur; cum proinde pro imensa sapien-  
tia sua, nouerit Deus, nihil illis utilius esse posse eo, quod malum  
a nobis vocatur, quis inficias eat, tribulationem, qua iusti visitantur,  
esse singulare Dei donum, adeoque, dum tribulantur, magnopere  
illis esse laetandum? hinc dicebat olim Job, et cum illo nos quo-  
que dicere possumus: „Haec mihi sit consolatio, vt affligens me  
dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti, quem in  
locum obseruat Tertullianus, Jobum, quum omnia ei post pro-  
bationem liberaliter a Deo restituerentur, non sustinuisse, vt filii  
quoque redderentur; „Sustinuit voluntariam orbitatem, ne sine  
aliqua patientia vineret, nonne dum medicus recedit ob infirmo,  
neque villa amplius ei praescribit medicamenta, conclamatum es-  
se iudicamus, de talis infirmi salute? boues etiam, qui non am-  
plius sudant sub iugo, sed in stabulis pingui pabulo otiosi sagi-  
bantur, nonne ad macellum destinantur? certe e Purgatorio non  
itur ad infernum, sed in Paradisum, tamdiu bene semper speran-  
dum de salute, donec a Deo caedimur, et flagellamur. „Intelli-  
ge medicum esse Denm; inquit S. Aug: et tribulationem medica-  
mentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem. „Scal-  
pellum Dei, quo nobis venam aperit, velut hasta Achillis, dum  
una parte ferit, sanat altera; „Tam est nostrae salutis artifex,  
ait Procopius, vt vel plagas incutiens medeatnr. „In mercatu  
Dei nemo felicius negociatur paciente, affert lacrimas et dolores; refert  
coronas, et dolores sed nempe destituimur lumine Sanctorum, quo si vel  
modicum illustraretur mens nostra, aliud profecto iudicium de infirmi-  
tibus pronuntiaremus, neque de illis tamquam malis intollerabili-  
bus conquereremur. P. Hilarius Cales, nostri Instituti religio-  
sus, acerbissimis doloribus podagrae, calculi renum, et stomachi  
complures annos ad mortem vsque diuexatus, tum maxime prae-  
mixta laetitia gestiendo cantabat, quum multiplices illae aegritu-  
dines horrendum ingrauescebant: afferens cum iubilo cordis; se  
esse, et ambulare in via Sanctorum; per haec scilicet media ut

difficilia, et sensibus ingrata ad finem illum felicissimum perueniatur: si patientiam esse filiam iustitiae, recte dixerit quidam, illum Tertullianus, non immerito matrem facit misericordiae, neque nullus aduocatus causam nostram apud Deum facundius perorat, quam patientia, quae, teste Cypriano, nos Deo et commendat, et seruat.

Proponatur tandem infirmo IESVS crucifixus seu perfectissimum quoddam patientiae speculum, atendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus, Thren: a. est illi pro molli lecto dura crux, pro pullis spinae, fel pro cibo, acerum pro potu; oculi lacrymis, sputo, et sanguine pleni; aures contumeliis, comitiis, et blasphemias oneratae; nares putrescentium cadaverum foetore infestatae; corpus a capite ad calcem flagris dilaceratum, nerui, venae, musculi, ipsa ossa acutissimis doloribus discruiciata, quin tamen sit nullus, qui eum in tam atrocibus tormentis consoletur; ab amicis deseritur, illuditur ab inimicis, negatur a discipulis, ab ipso Patre coelesti se derelinqui queritur. Mater quidem stat sub cruce afflita, quin tamen succurrere illi, aut solatio esse possit; ubi tamen IESVS Dominus erat, et Creator omnium, nos vero in conspectu illius velut vilissimi terrae vermiculi; nihilominus dum nos morimur, morimur inter amicos, qui nos solantur, ille vero inter insultantes inimicos; nos in manibus eorum, qui sollicitam nostri curam gerunt; ille destitutus ab omnibus; nobis, ut amissam recuperemus valetudinem, pharmaca quaque adhibentur; illi, ut crudelem suam scitam extinguat, ne quidem guttula frigidae praebetur: qui tamen innocentur patiebatur, sineulla causa praeter omnne ius, et fas, contra omnes leges; non sicut nos, qui per peccata nostra, et haec, quae impreseentiarum patimur, promeruimus, et his longe adhuc acerbiora; nihilominus IESVS, in tam graibus suis suppliciis tanquam ouis coram tondente obmutescit, nemini indignatur; neque malum imprecatur, imo veniam pro inimicis orat, tot praebens heroicæ patientiae exempla, quot vulnera recipit in corpore, atque iniurias, Benigni Christi, benigna sunt omnia, ut pie meditatur Nazianzenus, in hoc profecto speculum oculis fidei intuebantur olim generosi Martyres, et inde facti fortiores, et tormentorum acerbitatem, et mortis horrores intrepido pectore sustinebant; si proinde et nos Sanctos Mariyres imitati, nostros cum divini Redemptoris doloribus cou-

tulerimus, leuamen simile experiemur, quale illi suis in certaminibus coelitus senierunt.

## C A P V T IX.

## De temptationibus, earumque remediis.

**D**iabolicas temptationes in agone longe esse vehementiores, Spiritus magistri vnanimi ore docent; hinc S. Isidorus: „Quem diabolus, inquit, in cursu praeteritae vitae non decepit, in nouissimis supplantare disponit;„ cui concinens S. Gregorius ait: „Tanto diabolus grauiores temptationes ingerit, quanto magis peccatorem fini appropioquare conspicit; et quantum breuitate temporis angustiatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur. Infernalis nempe hic veterator implet aliquando miserum moribundum mortali taedio, dum obiicit illi viae pericula, metaeque incertitudinem; aliquando autem inanem viuendi spem insidiose suggerens, aut eum penitus a mortis salutari cogitatione abducit, aut certe illam tam molestam, tamque odiosam reddit, ut de altera vita ne curare quidem velit; rursus modo reuocat illi in mentem peccata commissa, eaque plus aequo exaggerando ad desperationem miserum praecepitare, conatur; modo extenuando grauissima quaeque, ac velut leuia, parvique momenti repraesentando, temerariam praeumptionem inducere tentat; torquet interdum infeliciem memoria rem rerum, quas imperpetuum deserere cogitur; viuaciter depingendo illi voluptates, quibus nondum frui poterat; aut illatas iniurias, quas nondum vindicauerat; non raro etiam adfligit pauperculum, excitando in animo illius varias cogationes, nunc de vxore ad secunda vota mox transitura, aut fraudibus, et dolis auarae cognitionis aduersum illam struendis; nunc de amasia inuidis riualibus cessura; nunc de filiis in potestatem Vltrici venturis; nunc denique de facultatibus tam magno labore, et sudoribus accumulatis, quae tamen pupillis; immaturis adhuc, et inconsideratis relictae periculum subeunt. ut mille indignis modis dilapidentur, ac pessum dentur; exprobrat quoque non frequenter, quod tam crebris Dei vocationibus surdas aures praebuerit, inspirationes illius spreuerit, pia consilia contempserit; saepius etiam et confessiones redarguit quasi sine proposito emendationis peractas, et communio-

nes, tamquam absque villa, aut plane exigua praeparatione, animoque deuotione frequentatas; terret interdum horribilibus spectris, aut citat ad tremendum tribunal Dei, eius oculis nullo tegumento abscondi, cuius manibus nulla pecuniae vi subduci, et a cuius sagittis nullo unquam Clypeo defendi possit: Elias Sanctus ille Abbas, qui ex centum et decem annis, quibus vixit, septuaginta in rigorissimae poenitentiae operibus consumperat, ad finem suorum dierum perueniens, timore et tremore plenus dicebat: „Tri timeo, egressionem animae e corpore, feueritatem examinis, sententiam Iudicis: quae tria quanto maiori cum fundamento pertimescenda sunt peccatori? propterea Christus in Euangeliō dicebat: „Erit tunc tribulatio magna; „ sicut etiam S. Joh: in sua Apocalipsi magnam illam appellat, ob magnitudinem nempe periculi, a quo ne ipsi quidem Sancti sunt immunes: „Hi sunt, inquit S: Vincentius Ferrerius, qui venerant ex magna tribulatione, quae utique est illorum mors, omnium terribilium terribilissimum: sed neque ipse incarnatus Deus, cum animam ageret a diabolice hisce assultibus liber fuit, adeo, ut S. Grego: exclamat: „Quam terribilis, quam rabidus sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus princeps tenebrarum mundi veniet, si ad Deum in carne morientem venit!„

Inter grauiores porro tentationes, quibus moribundum ferocius adoriri consuevit diabolus, prima est tentatio impatientiae, subdole insinuans infirmo, malum, quod patitur, in vindictam, et perniciem eius a Deo fuisse inflictum; secunda, dum fallo blanditur, aegritudinem haud esse mortiferam, nec proinde festinandum adhuc esse ad necessariam Sacramentorum susceptionem; tercia, fidei, excitando varia dubia circa veritates reuelatas; quarta praeſumptionis de bonis operibus stolidam ingerens fiduciam, et ambitionem, quinta taedii, et doloris ob amissionem mundi, cognitorum, amicorum &c: sexta desperationis, quum multitudinem peccatorum obiiciens, illaque supra modum exaggerans, omnem spem veniae adimere nititur, dissidentiam qua nihil periculosius, de diuina misericordia in animo moribundi suscitando; contra tentationes taedii, et impatientiae in praecedentibus capitibus satis, superque differuimus; impreſentiarum proinde agendum duntaxat venit de remediis reliquarum; et quidem primo

## C A P V T X.

## Contra desperationem.

**V**iuaciter proponatur infirmo infinita Dei bonitas, et misericordia, ostendendo illi, quae, et quanta pro homine fecerit, demonstretur etiam illi efficacia Passionis Christi, quae tantae est virtutis, ac meriti, ut non vnam, sed infinitas, si essent, animas aeterno interitu saluare possit; exprobrantem audiatur S. Aug. quod tam parum, aut nihil in diuina misericordia confidat: „O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur et omnipotentiam coelestis Medicu[m] non attendis?”, vt adeo magna cum fiducia confugiendum sit ad hunc Medicu[m] quantumlibet magno, ac scelerato peccatori; adesse enim illi efficacissima vitae remedia, quintamque, ut ita dicam, essentiā gratiarum, quibus omne malum faciliter negotio curare, illudque admirabili quadam metamorphosi in bonum vertere possit; qui etiam ex Pastoribus Prophetas, ex Publicanis Euangelistas, Apostolos ex persecutoribus facere nouit; quod si haec nondum adhuc sufficerent ad periuadendum, oculos fidei coniciat infirmus in crucifixum, et moribundum latronem, in quo, ut pie considerat S. Ciprianus, „poenam mutauit in martyrium, sanguinem in baptismum.

Quid? mundum vniuersum replete Deus misericordiis suis; teneuntur, o aeger, illis vacuum abire finet? „Numquid est abbreviatus Spiritus Domini? (a) qui tantorum culpas hactenus misericorditer delevit, tuas delere non poterit? (b) confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius: „cogita parumper, quae, et quanta pro te ad hanc usque diem fecerit Deus; creavit te ex nihilo, et creavit hominem, ut essem capax gratiae, et gloriae; prae multis aliis collocauit Te in Paradiso Catholicae Ecclesiae; vix natum per Sacramentum baptismi in militiam suam cooptauit; ad perpetuam tui custodiam suum angelum destinauit; quod periculis quotidie non te eripuit? quot favoribus non cumulauit? quoties peramanter non inuitauit? quum autem per poenitentiam ad eum redires, quam celeriter non tantum condonauit peccata, sed suo insuper diuino corpore refecit, sanguineque pretiose restaurauit? quam clementer etiam ex tot insidiis diaboli in tuam perniciem vnicenter.

(a) Mich. 2. (b) Ephes. 6.

tenti te liberauit? quoties mors in infelici statu peccati Te op-  
 primere potuisset, nisi is ineffabili misericordia longe eam a te fe-  
 cisset? si ergo haec tam grandia beneficia tum praestitit tibi Deus,  
 quum contra illum rebellis cum inimicis eius confoederatus essem,  
 contempnendo ipsius consilia, Sanctamque legem pedibus nefarie con-  
 culeando; putasne nunc ab illo te deserendum, ab illo, inquam,  
 Deo, qui omnibus peccatoribus hic ad eum sincere conuersis glo-  
 riosos triumphos ordinat in coelo? certe Deus noster tantopere fa-  
 ludem hominum amat, vt quasi oblitus Maiestatis suae, omni poen-  
 itenti praeuenientibus suis gratiis obuiam eat, reconciliatosque  
 gratia sanctificanti exornet, ac in sinum paternum tenero cum af-  
 fectu recipiat: vt quid ergo de venia desperas? numquid hic ipse  
 Deus, studio te salvandi, toties hactenus gratiosis promissis te in-  
 uitauit, minis terruit, saniora consilia suggessit, bono aliorum e-  
 xemplu docuit, Sacramentorumque salutarem efficaciam obtulit? num-  
 quid audiisti repetita illius promissa, et quidem solemni cum iura-  
 mento firmata, se omni peccatori ex animo ingemiscenti, cuncta  
 peccata extemplo remissurum, neque illorum recordaturum amplius? volet ergo perdere Deus fructum tot laborum, et sudorum? in  
 irritum ergo cadent tot amorosa artifacia, quibus nos in salutem  
 capere voluit? in vanum ergo sparsit tam copiosum sanguinem? in-  
 vtiliter instituit tot Sacraenta? quae et quanta paterni amoris in-  
 dicia non exhibuit Deus, et Angelae Fulignatensi, et Margarethae  
 de Cortonensi, postquam per sinceram poenitentiam ad eum sunt  
 conuersae, vt antea famosae fuissent meretrices? certe nullo pec-  
 cato grauius offenditur Deus, quam peccato diffidentiae, vt ipse  
 aliquando reuelauit S. Catharinae Senensi; et Aug. dicit, diffiden-  
 tem de misericordia Dei sibi ipsi claudere portas salutis; „Cum  
 enim, inquit, Deus velit misereri, quia bonus est, ipse contra se  
 divinae bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri aut nolle,  
 aut non posse credit.” (a)

Audi, quæso, et ausculta, quomodo Te Deus per Hesaiam  
 alloquatur, et animos tibi faciat, (b) „noli timere, quia Te rede-  
 mi, et vocau Te nomine tuo, te, qui tam crebro. et tam atro-  
 citer eum offendisti; te, qui tam tarde, et in puncto mortis ad eum  
 reuerteris; testatur enim per Ezechiel dicens: „iniquitas impii  
 non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit; (c) nam, vt  
 E

sub.

(a) Serm. 8. de temp. (b) Hesiae. 43. (c) Eze. 33.

fabiungit S. Leo „ nullas patitur veniae moras vera conuersio; tu ergo, qui nihil vñquam boni fecisti, Sanctas inspirationes toties contempsti, Sacramentis perfide abusus es, tu, inquam, si modo confidas, et sinceris poenitentiae lacrymis ad eum recurras, mille illico benedictiones ab illo reportabis: ex animo tantum poeniteat Te peccasse, et sufficit; dic corde; peccavi Domine, et placasti eum; promitte emendationem, ac confitere, et veniam obtinuisti; eia ergo dicamus animose cum Bernardo, dum a daemone dissidentiae tentatione pulsamur „ Turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor, (a) in his velut sacris caueris columbarum modo tuto collocabo nidum meum a facie mihi infernalis; sim licet miser, ac miserabilis, non cessabo tamen dicere ad Deum meum „ spes mea ab vberibus matris meae, in Te proiectus sum ab vtero ;,, quantum cunque magna fuerit calamitas mea, semper tamen maior erit infinita tua misericordia ; „ quid est peccatum ad Dei misericordiam? quaerit Chrysostomus, et respondet „ aranea, quae vento flante nusquam comparat ;,, speremus ergo in misericordia Dei, pro certo tenentes, spem in Deo positam nunquam confundere, (b) suavis Dominus vniuersis; et miserationes eius super omnia opera eius.

## C A P V T XI.

## Contra tentationem fidei.

Fides secundum doctrinam Angelici, est totius aedificii spirituallis fundamentum, neque aliam ob causam in Apocalypsi S. Joh: fundamenta coelestis Ierusalem strata esse dicuntur lapidibus pretiosis, diversisque coloribus amaene variegatis, quam vt inde disceremus fidem omnium Christianarum virtutum esse radicem, et basim solidissimam; hanc eandem fidem, adfirmat S. Anastasius Sinaita, esse velut firmamentum in medio aquarum, quod aduersus omnes, diabolicarum tempestatum fluctus semper constans, immobileque permanet; vnde apposite Philo haebreus, animam sine fide comparat uau, quae destituta gubernatore, et in tenebris oberrans, mille pernicioſiſſimorum errorum ventis furiosiſſime abripitur; nimium proinde periculosa est tentatio, qua contra fidem sex-

(a) Serm. 6, in can. (b) Rom. 5- Psal. 144,

sexcenta dubia mouendo, animum infirmi diabolus pulsat, eoque  
 magis vires nequitiae suae intendit, quo aegrotus doctior fuerit,  
 ac perspicacior; efficax itaque remedium aduersum tentationes fi-  
 dei, est, reiicere illas, neque disceptationibus contra illas pugna-  
 re, credendo firmiter omne id, quod ab Ecclesia proponitur, eti-  
 amsi mens non capiat, in quo solo consistit meritum fidei, „Beati,  
 qui non viderunt, et crediderunt, haec certe tentatio talis  
 est indolis, et naturae, ut sicut per generosum contemptum cito  
 euanescit, ita per altercationem maiores semper vires adquirat;  
 atque hinc Marcianus Imperator piissimus, ad stabiliendam ma-  
 gis, magisue Concilii Chalcedonensis fidem, lege lata omnem pu-  
 blicam de fide disputationem severissimis paenitentia vetuit, inquiens:  
 Qui enim post veritatem repartam aliquid ulterius discutit, men-  
 dacium quaerit., „Magna profecto infamia est, ait Picus Miran-  
 dulanus, Euangelio non credere, cuius veritatem sanguis Marty-  
 rum clamat, Apostolicae resonant voces, prodigia probant, ratio  
 confirmat, elementa loquuntur, daemones confitentur,; vt pro-  
 inde non inconcinnus S. Joh: Chrys: fidem comparauerit currui  
 Ezechielis quatuor rotis innixo; innititur enim et ipsa velut qua-  
 tuor firmissimis rotis, veracitati Dei reuelantis, miraculorum pa-  
 trationi, testimonio Martyrum, et euangelicae praedicationi.

Certe vel ipsum Symboli Apostolorum initium: Credo in De-  
 um: satis nos monet, diuina Mysteria simplici corde esse creden-  
 da, non autem curiose inuestiganda; quid nempe sit Deus? vnde  
 sit? quomodo sine principio, et absque fine? quomodo a semetipso  
 existens, ab alio independens, omnipotens, immensus, immutabili-  
 lis, incomprehensibilis, in omni attributo infinitus? qui enim ni-  
 minum intentis oculis fulgurantem solis sphaeram intueri praesumit,  
 a copiosis eius splendoribus nil praeter caecitatem in premium temera-  
 riae praesumptionis reportat; itaque „qui credit in Deum, Deum di-  
 scutere non praesumat, inquit S. Petrus Chrysologus; omnis  
 curiositas in rebus diuinis est instar vulneris, quod eo maiorem  
 parit pruritum, quo fricatur fortius; labyrintho etiam est persi-  
 milis, per cuius caecas, tortuosasque ambages quo diutius huma-  
 num ingenium oberrat, eo difficiliorem inuenit exitum; hoc lu-  
 ctuosa experientia didicit vir ille, caetera doctus, vitaeque exem-  
 plaris, qui, vt refert Cardinalis Bellarminus, interrogatus a dae-  
 mone circa quaedam fidei nostrae mysteria, quia voluit ostentare  
 scientiam, et eruditionem suam, tantis derepente illaqueatus est

erforibus, et tam arcte, vt illis etiam immortuus fuerit; a morte postea comparens cuidam amicorum flebili voce dixit, se aeternum esse damnatum, quod nimis temerarie de mysteriis fidei cum diabolo disputare praesumpserit; prudentius sane se gessit, tuitiorique incessit via alter aliquis, qui in punto mortis itidem quaesitus ab infernali inimico, quid crederet? reposuit, id se totum credere quod Sancta Romana Ecclesia; vrgenteque aduersario, ac rursus querente; quid Sancta Ecclesia crederet? subiunxit, id totum, quod ipse: hocque modo felicissime elusit omnes thecnas sagacissimi tentatoris.

Quando proinde diabolus varia dubia circa fidem nobis doceo suggerit, nequaquam disputandum est cum illo, neque vel modico tempore illis inhaerendum; sed fide firmiter resistendum, eaque velut quodam ense omnes fraudum diabolicarum nodi obtruncandi; non pigeat sequi nobilissima exempla doctissimorum iuxta, ac pientissimorum Patrum, vt sunt Gregorii, Hieronimi, Ambrosii, Augustini, Hilarii, Cypriani, Nazianzeni, Chrysostomi, Basilii, aliisque complures, qui praefixis scientiae suae certis limitibus, humiles adorauerunt oracula fidei; et uero si pro defensione orthodoxae fidei, vitam, et sanguinem tam generose profuderunt tot, et tanti Heroes ex omni aetate, sexu, gradu, et conditione, qui diuinitis, nobilitate, scientia, ac sapientia prae primis conspicui, acerbissima quaque tormenta in testimonium fidei hilari mente pertulerunt; decebit profecto, vt nos quoque ad conseruandam illibate hanc eandem fidem totis viribus incumbamus, identidem repetentes illud ex Euangeliō: „credo Domine, adiuua incredulitatem meam.” Ad profligandam porro magis, magisque omnem in rebus fidei curiositatem, quid, amabo, illud: „Posuit tenebras latibulum suum,” aliud nobis indicat, quam supra vires, creati intellectus positam esse diuinæ Majestatis exactam cognitionem? quid illud: Deum incumbere alis Cherubinorum? nisi eum superiorem esse omni etiam sublimissima cogitatione mentis creatae? quid liber ilie in Apocalypsi septem sigillis munitus? nisi creatae intelligentiae impossibile esse, vt immensum illud diuinitatis volumen aperiat, profundaque illius arcana scrutetur? quid denique descensus ille Dei in terram densas inter nebulas, et caliginem, sicut ipse olim ad Moysēm dixit: „Veniam ad Te in caligine nubis?”, nisi vt intelligeremus humanum intellectum velut cimmeriis tenebris innolui, quando Deum curiosius ibue.

inuestigare instituit? Deus nempe est instar lucis, aciem oculorum eo perstringentis acrius, quo fixius aspicitur; est instar aquae eo elabentis celerius, quo comprimitur arctius; est instar umbras, quam quanto insequeris vehementius, tanto etiam a Te fugit velocius.

Sed et Seraphim incomprehensibilem esse Dei naturam exemplo suo demonstrant, quum duabus aliis modeste velata facie, aliis duabus reuerenter circum Thronum diuinæ Majestatis volitant; neque etiam aliam ob causam Deus ipse in sole posuisse tabernaculum suum dicitur; sicut enim potest quidem homo aliqua ratione cognoscere et magnitudinem globi solaris, et celeritatem motus illius, et claritatem luminis, et efficaciam influxus, quin tamen ideo permisum ei sit, ob copiam exuberantis splendoris absque periculo oculorum fixius in eum intueri; ita, et non absimili modo res se habet Dei respectu; humano intellectu aliquantulum capi potest, comprehendi vero nequaquam; ideo etiam Moyssi, ut saltem umbram Diuinitatis cerneret in rubo illo ardenti, extra confinia quasi humanitatis procedendum fuit, ut acute obseruat S. Joh: Chrys: „Transiens, inquit, videbo visionem hanc magnam; nam ut Deum videret, processione quadam virtutis ad altiora processit; imo, ut Rupertus Abbas non minori cum acumine aduertit; hunc in finem plane iussus est exuere calceamenta, symbolum mortalitatis „, ut omni careret mortalitatis indicio.

Ob hanc itaque causam Gilbertus Monachus, narrante Petro Cluniacensi, dum in articulo mortis tentatione contra fidem percelleretur, ut superaret illam „resumpto spiritu, et apertis oculis acclamare caepit professionem fidei: quicunque volit saluus esse, teneat Catholicam fidem, &c: Sanctus quoque Johannes Columbanus, ut in extremis positus tutior foret a periculoso hoc diaboli assultu, emissâ solemnî professione fidei, iussit illam in publicas referri tabulas, authentico fidei suae testimonio hoc pacto unicus relicto. S. Joannes Gualbertus autem ad retundendos coram tribunalî Dei omnes aduersarii iactus nullum scutum fortius, existimabat Catholicâ fide, quare moriturus voluit sepeliri vna cum charita, cui professionem fidei inscriperat: „sine qua nemo potest placere Deo.,, Scilicet illuminati hi serui Dei, probe intelligebant, non esse aliud salutis nostrae fondamentum, quam fidem, considerando illam velut alteram columnam Israelis, quae dum nos a

furiōsis assultibus infernalis Pharaonis tutatur, dicit etiam feliciter per mare rubrum periculoso agonis in promissam Paradisi terram, columna nubis per diem, et columnā ignis per noctem coram populo.

## C A P V T XII.

## Contra praesumptionem, aut vanam gloriam.

**A**mor existimationis propriae tam est innatus homini, vt ad perdendum illum nulla forte alia re vehementius abutatur diabolus, tantoque tentatio haec vrget fortius, quanto se se insinuat suauius; hinc dum Christum etiam in solitudine aggredetur, hanc velut neruosiorem secundo loco referuauit, vt optime animaduertit S. Ciprianus, idcirco exclamans: „O execrabilis diaconi malitia! putabat malignus, quem gula non vicerat, vana gloria superari: si filius Dei es, inquit, mitte te deorsum„ ob hanc certe iucundam suauitatem, qua tentatio vanae gloriae animis illabitur, incautisque lethalia infligit vulnera, S. Basilus vocat illam „dulcem spiritualium opūm expoliaticem; iucundum animarum nostrarum hostem;„ S. Bernardus autem monet: „time sagittam, leuiter volat, leuiter penetrat, sed non leue infligit vulnus, cito interficit, nimirum sagitta haec vana gloria est.„ Porro licet vitium hoc viris duntaxat illustrioribus videatur esse proprium, est nihilominus commune omnibus, tanta est astutia diaboli hoc vitium promiscue insinuantis, praeſertim illa vltima hora, qua omnes versipellis ingenii sui neruos, quantum maxima potest, intendere confuerit, vt quibus desperatione non potuit, praesumptione nocere queat.

Inuigilandum proinde summopere est, et si in moribundo vel minimum vanae gloriae indicium obſeruetur, opportuna remedia tempeſtine applicanda; cuiusmodi sunt, vt cognoscat aeger, omne bonum a Deo, tanquam a fonte vnico promanare, adeoque illi tribuendam omnem laudem, et gloriam; sine cuius auxilio nos tam esse debiles, vt nihil prorsus facere queamus, quod mereatur aliquid, prout ipse Saluator apud Euangelistam Johan: c. 15. testatur: „ſine me nihil potestis facere; ipsos Sanctos heroicorum operum patratores tam fuisse humiles, vt omnia in Deum, ceu totius boni

autho-

authorem sincere retulerint; Moyses etiam, vtvt Vicarius Dei  
 constitutus, et omnipotentiam Eius quasi ad nutum habet, tam pro-  
 fonda tamen humilitate praeditus erat, vt dum radianti facie supra  
 humanam conditionem fulgeret, ipse suam expauerit gloriam, vt  
 fidem facit S. Ambrosius: „In se mente humiliis, suam expauit glo-  
 riam; vt adeo tot inter gloriofissima prodigia, quibus totam Aegy-  
 ptum in admirationem sui rapuerat, ne minimum quidem vanae  
 complacentiae indicium de se vnuquam dederit., Ab ex-emplis San-  
 ctorum, qui omnes humillime de seip sis fenserunt, tranleatur ad  
 propriam sui cognitionem iuxta illud Socratis: Nosce te ipsum, haec  
 certe suimetipius cognitio facile deteget, nihil nos habere, vnde  
 gloriari possimus, bene vero multa, vnde confundi, humiliarique  
 debeamus; nam, prouti recte S. Greg: „omnis humana iustitia in-  
 iustitia esse conuincitur, si distincte iudicetur, si enim remota pie-  
 tate discutimur, opus nostrum poena dignum est, quod remunerari  
 praemiis praestolamur, reflectamus igitur parumper oculos in nos-  
 metipos, et cum horrore deprehendemus ibi latentem abyssum mi-  
 seriarum, defectum, peccatorum, cogitatione, verbo, et opere pa-  
 tratorum. Ac re quidem vera, quid est sane homo? audiamus pri-  
 us sensa hominum, fidei lumine carentium; Pindarus dicit: „Ho-  
 mo est somnium umbrae; Plinius: homo est lucerna in veno posi-  
 ta;,, Herodotus: „homo calamitosa res est;,, Aristoteles: „homō  
 est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunae lusus, in-  
 constantiae imago, inuidiae, et calamitatis sentina, reliquum ve-  
 ro pituita, et bilis;,, quod si tam abiecte fenserunt de homine  
 Ethnici duce solo naturae lumine, quid, quæso, dicent viri a  
 Deo illustrati? Job „Putredini, inquit, dixi: Pater meus es; et  
 mater mea, et Ioror mea vermis;,, Abraham, loquar ad Do-  
 minum, cum sim puluis, et cinis;,, Jacobus Apostolus: „vapor  
 est ad modicum parens: David Propheta modo „verum tamen uni-  
 uersa vanitas omnis homo viuens,, modo „substantia mea tamquam  
 nihil ante Te;,, modo „ad nihilum redactus sum, et nesciui;,,  
 Paulus denique „si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse  
 se seducit., Vnde ergo, et quam potissimum ob praerogatiuam no-  
 stram gloriari vnuquam poterimus? fortassis ob animam mente, et  
 ratione praeditam? sed numquid illa est ineptiarum officina, nuga-  
 rum receptaculum, melancholie sedes, quæ fumis nigrescit, um-  
 bris obfuscatur, spebus abripitur, suspicionibus venenatur, cogita-  
 tionibus praus opprimitur, passionibus foede discerpitur? fortasse  
 inue-

inueterata odia, amores, timores iracundia, aliique vitiosi affectus, quibus miserum in modum dilaniamur, haec ergo fortasse idoneam superbiendi materiem nobis suppeditabunt? appage nugas; verbis stemus Augustini, qui alloquens animam ait: „Audi anima, qualis sis in hoc mortali corpore, onerata peccatis, irretita vitiis, capta illicebris, affixa membris, confixa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, afflita doloribus, erroribus vaga, suspicionibus inquieta, sollicitudinibus anxia.”

Procedamus porro, et ad maiorem nostri confusioneum quaeramus, vtrum sine adiutorio Dei aliquid boni a nobismetipsis producere possimus? vtrum salutem consequi absque singulari illius gratia? si non: qui ergo in tanta virium imbecillitate altum sapimus, superbimus, vane in nobis complacemus? numquid tam crebrae tentationes, quae vnde nos impugnant; occasiones tam periculose, quae singulis fere horis in peccata nos alliciunt, numquid haec securos salutis aeternae nos faciunt? „vnde nobis securitas ista maledicta?”, indignabundus clamat S. Bernardus: timent, et tremunt Pauli, Bernardi, Hilariones, Hieronimi, Areopagitae; et nos, qui tam longe ab illorum sanctitate absimus, imo, qui vitiis tantopere dediti sumus, in vtramque aurem securi dormiemus? respondeamus, quaeſo, interrogationi S. Bernardi: „Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, concludante scriptura: Nescit homo, si sit dignus amore, an odic?

Numquid animos nobis addit labendi facilitas, et refurgendi difficultas, cum tanto rerum terrenarum amore, coelestium autem fastidio coniuncta? sed demus, frequentari a nobis Sacra menta, Divinorum mysteriorum contemplationi quotidie nos vacare; abominari peccata, merita accumulare meritis, vna nihilominus passio, quae in animo vehementius tumultuerit, vna inordinata affectio, quae in rem vetitam maiori impetu abripiat; vna viuacior apprehensio irrogatae iniuriae, vna denique male agendi inexpectata occasio nonne nos de virtutis fastigio deiicere, facileque in barathrum praecipitare potest? quot viri hactenus longaenit meritis onusti per vnam prauam animi libidinem possessione paradisi aeternum exciderunt? decantata sunt funesta exempla Origenum, Tertullianorum, Apollinarium, Salomonum; S. Ludouicus Bertrandus, religiosae virtutis speculum, cum quadam vice in profundam tristitiam delapsus, cur tantopere maiceret, interrogaretur, respondit: quomodo

non fleam, cum non certo sciam: an aeternae salutis compos sim futurus? nos autem miseri peccatores, mille licet culpis, et flagitiis faede contaminati, praesumere audebimus, vaneque gloriari? sed qua de re, amabo? forte propter nihilum, quod sumus? aut si nihilo plus aliquid sumus, forte propter puluerem, putredinem, et corruptionem, cui in momenta subiacemus? de his ergo nos impudenter gloriari volemus, cum ex aduerso Sancti, teste S. Prospero, quanto in mandatis Dei proficiunt, tanto maiores habeant causas formidinis et tremoris;,, timent enim ut subiungit S. Leo, ,, Ne ipsis operibus pictatis elati, deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae;,, S. Catharina Senensis in mortis articulo ad vanam gloriam a daemone stimulata, iam languida quidem viribus, sed spiritu humilitatis robusta, prompte reposuit: quid? vana gloria? absit; soli Deo honor, et gloria.

Sumamus itaque exemplum a Sanctis, adscribentes Deo cuncta bona, quae vñquam operati sumus; amplectamur doctrinam Christi, qui omnibus clamat: „discite a me, quia mitis sum, et humiliis corde;,, si feceritis omnia, quae praecepi vobis, dicite, quia serui inutiles sumus,,, fecistine omnia, quae praecepta sunt? et audes cogitare, te aliquid esse, sed et bene cordi imprimamus tria illa Hugonis de S. Victore: „quid fuisti? quid es? quid eris? Profecto si merita nostra remoto Deo, considerentur, illis, praeter mille infernos nihil aliud promeritis sumus; ut enim opera nostra vitæ aeternae meritaria euadant, gratia, et auxilio Dei est opus; testante S. Paulo, sufficientiam nostram ex Deo esse, per passionem et mortem IESV Christi, quae infiniti est meriti, si tamen lubet in aliqua re gloriari, „gloriemur in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra, per quem saluati, et liberati sumus, repetendo semper cum Apostolo: soli Deo honor, et gloria in secula seculorum. Amen.

## C A P V T XIII.

## Contra odium inimicorum.

**P**assio irae indita nobis a natura, res est tam fera, et violenta, ut adempto saepius vsu rationis, nos velut in totidem vespas conuertat, vitam, quam vindictam ponere paratores; ut adeo

nulla res difficilior sit, quam bene velle ei, qui tibi male fecerit; sicuti enim Diuus obseruat Bernardus: „diligere inimicos, magis diuinum est, quam humanum,,; profecto iniurias non vlcisci, est quasi obliuisci, se esse hominem; iniuriam vero nec recordari amplius, quid est, nisi humanae naturae quasi supergredi limites? suadeatur nihilominus infirmo; diuinum hoc paeceptum, vt ut reuera arduum, esse tamen nequaquam impossibile; „grande paeceptum, aiebat S. Aug. sed grande paeium.,, Etuero quis inficietur furentem hanc passionem posse superarri ob momenta aeterna, cum toties superari cernatur momentis, et rationibus temporaneis, vt puta cum nobis potentior est aduersarius; aut timeamus, ne grauiora inde mala nobis accersamus, aut etiam propter vanam gloriam; sicuti facere tot gentiles, qui vnica duntaxat ratione duce, ad aeternam Christianorum confusione, gloriae sibi duxerunt, inimicis iniurias dimittere; nemo hoc loco S. Joh: Chrys: „Gentilium filii, inquit, in hoc plerumque philosophati sunt, et tu cum tali spe migratus et retraheris, et torpes? „quoties etiam vfluuerit, vt mandato conspicui alicuius Domini iiras abire sinamus? quod ergo in gratiam priuati cuiusdam Domini facimus, hoc in reuerentiam Domini dominantium, Creatoris, Redemptoris, Conseruatoris, et Supremi Iudicis nostri facere recusabimus? plus ergo nos poterit seruus, quam possit Dominus? ipsae adeo insensatae creaturae obediunt Deo; et tu natus, educatus, enutritus in gremio Christianismi obedere detrectabis? quis vnquam ex totius mundi aduersariis in potentia cum Deo conserfi potest? saltem ergo timore illius, qui grauiora quam omnes inimici tui sine comparatione mala tibi infligere potest, ac certo infliget nisi dimiseris proximo tuo, paeceptum de dilectione inimicorum non adimplebis? vt commoda temporalia, fauoresque humanos consequaris, iracundiae tuae saepe fraenos iniicis; vt autem aeternam animae tuae salutem in tuto colloces, inimico non ignoscas? quae dementia, quaeso, ob vnumanimi motum indignationem Omnipotentis incurgere velle; in periculumque damnationis sese coniicere? qua fronte veniam a Deo sperare poterimus, si nos tam implacabiles erga inimicos nostros sumus? quomodo confidimus nos liberari posse a carcere, in quem ob peccata coniiciendi sumus, si conseruum nostrum ob longe leuiora debita tantopere persequimur? illud autem: „dimitte nobis debita

sotra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,, quo ani-  
mo, si iniuriarum non obliuiscamur, ad Deum dicere poterimus?  
nonne hoc tantundem est, ac si diceremus: Domine, quandoqui-  
dem ego illatam iniuriam non remitto, neque amplius eum amici  
loco habeo, sed a facie mea repello, ita vt nihil prorsus de re-  
bus illius scire velim: oro Te, atque obsecro: vt Tu quoque  
mecum ita agas, offensas non dimitas, amicitia, tua excludas, a  
facie repellas, rerumque mearum nulla cura tangaris? et si Deus  
tergum nobis obuerterit, si deseruerit, si nostri amplius sollicitus  
non sit; nonne actum erit de nobis, noone conclamatum? idcirco  
etiam S: Petrus Chrysologus: „Qui sic petit, inquit, et debita non  
relaxat, ipse se etiam per quod orat, accusat:,, Aug. autem clarus:,, qui  
vult dicere efficaciter, dimite nobis, oportet dicat veraciter, sicut et  
nos dimittimus; si hoc, quod est posterius aut non dicit, aut fal-  
laciter dicit, illud, quod prius est, inaniter dicit.,,

Hac ergo via incedendum nobis est, si tamen saluari volu-  
mus; donec enim nos firmi, et obstinati perfisterimus in odio ini-  
mici, nec Deus nobis indulgebit vñquam peccata nostra; „ qui  
haec implere noluerit, ait S. Eligius, ipse sibi ianuam dieinae mi-  
sericordiae claudit,, certe neque orationes nostrae, neque bona  
opera, nec quicunque virtutum actus ad vitam aeternam valent al-  
iquid, nisi charitate informentur, vt enim ait S. Leo: „Nude  
sunt omnes sine charitate virtutes; hoc ergo diuinae charitatis in-  
signi monetae operum nostrorum niteant, oportet, vt suum in  
coelo valorem obtineant; absque charitate nec ipsum adeo martyrium  
quidquam prodest: „Inexpiabilis culpa discordiae, inquit S. Cypri-  
pi: macula ista nec sanguine abluitur, nec passione purgatur,, si  
tradidero ait S. Paulus corpus meum, vt ardeam charitatem au-  
tem non habuero nihil mihi prodest.

Neque iunat dicere: mundum vt dedecus quoddam, aut ani-  
mi vilitatem considerare, cum veniam damus inimicis; quid enim?  
viles ergo erant tot Principes, clementiae laude, quam imperio  
clariores? viles Apostoli, et Martyres, qui flagris dire caesi, di-  
scerpti, dilaniati carnifices suos amore prosecuti sunt, pro illisque  
orarunt? vilis ipse Glorie Rex Christus, Vniuersi Dominus, cui  
millia angelorum cum iucunditate ministrant, a cuius facie dae-  
mones contremiscunt, quem tota adorat creatura? hic tamen ab  
impiis Judaeis cum vilipenderetur, contumeliis afficeretur, tormentis

tis torqueretur, crucifigeretur; nunquid aeternum Patrem pro ini-  
micis rogauit? „Pater ignosce illis.“ Vnde S. Aug. vide, inquit,  
pendentem, et tibi de ligno tamquam de tribunal praecipientem;  
vide pendentem, et tibi languenti de suo sanguine medicamentum  
facientem; vindicari vis, vide pendentem, audi precantem: Pa-  
ter ignosce illis, en inter angustias afflictissimi spiritus, inter vul-  
nera infinita dilacerati corporis, tot inter probra, conutia, et  
blasphemias Saluator tuus nullius recordatur, praeter amorem qui  
et haec dulcissima verba illi expressit: Pater ignosce illis.; amor  
scilicet I E S V per odia creuit; sermoque eius factus dulcior per  
amaritudinem fellis; clementia maior per impietatem inimicorum;  
dilectio fortior, quo iniuria crucifixorum atrocior; vt adeo asse-  
rere non dubitamus, multa millia adstantium in Christum credidis-  
se, cum his haec amoris plena verba protulisset: Pater ignosce  
illis.

## C A P V T XIV.

Conformitas cum diuina voluntate est medicina  
omnium malorum.

**I**n mortis agone, ceu in certamine omnium, quae in hac vita ex-  
perimur formidolosissimo, „quando, vt loquitur Chrysostomus,  
dolores vndique conturbant animam, quando tristitia obsidet, quan-  
do adest diabolus incitans; infirmo aduersus cuncta mala nullum  
aliud scutum ad sui defensionem arripiendum est, quam illud, con-  
formationis suae cum diuina voluntate: „Domine, vt scuto bonae  
voluntatis tuae coronasti nos; lubenter acceptando malum, quod  
a Deo non tantum ad maiorem suam gloriam missum est, sed ad  
propriam etiam patientis utilitatem; illudque Jobi crebro ex ani-  
mo repetendo: „sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen  
Domini benedictum; certe Princeps hic patientiae, teste Christo-  
mo, longe plus meruit, aerumnas, et dolores suos aequo animo  
tolerando, quam dum sanus largissimas dispensaret elemosinas; cui  
sententiae subscribit et ipse Bonaventura inquiens: „Perfectius est  
aduersa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare; dum sci-  
licet credimus illa a Deo in bonum nostrum immitti, eoque tem-  
pore immitti, quo et nobis expediant magis, et illi gratius per  
haec

haec praestetur obsequium, ad quod vnicē omnia desideria nostra  
semper adspirare debent.

Profecto haec conformitas cum voluntate Dei, velut decora  
quaedam sponsa dotis loco secum affert, quidquid anima beata in  
coelo possidet, puta visionem beatificam, fruitionem diuinam, in-  
commutabilem Summi Boni possessionem, omnes etiam gloriose  
corporis qualitates, impassibilitatem, claritatem, agilitatem, et  
subtilitatem; Regnum quippe coelorum tamquam opulenta qua-  
dam dos omnibus illis a Deo promittitur, qui hic in terris quasi  
castas nuptias cum fideli voluntatis eius executione celebrauerint;  
hinc etiam bonus ille Latro, quia verbis illis: „memento mei,  
Domine, cum veneris in Regnum tuum,“ interprete S Augustino,  
innuere voluit, se, si Christi voluntas esset, promptum, para-  
tumque futurum, ut infelici ligno tamdiu suspensus penderet, do-  
nec ad iudicandum orbem cum Maiestate rediisset; generoso hoc  
heroicae conformatioonis actu, ut in Paradisum sine mora admit-  
teretur, felicissime promeruit; sed et ratio iustitiae id postulare  
videtur, ut Deus voluntati eius sese conformatibus talia praemia  
distribuat; quum enim nos per hanc conformatatem propriam vo-  
luntatem, cuius sumus vnicē domini: Deo consecremus; aequum  
certe, iustumque est, ut Deus quoque tali re generosam hanc no-  
stri oblationem remuneretur, quae ipsius propria sit, ac peculia-  
ris, talis porro est Deum esse felicem semper, atque beatum.

Praeclarae huius subiectionis, Deoque tam charae vniuersa,  
qua late patet, creatura suo exemplo nos commonefacit, quum  
nulla sit ex omnibus, quae quotidie tributum non soluat volun-  
tati diuinae, quin tamen villam propterea speret, aut recipiat  
mercedem; absurdum itaque est, naturaeque nostrae rationali val-  
de dissentaneum, ut vniuersae creaturae exemplo non coniformem-  
ur, repugnemusque voluntati illius, qui nos ex nihilo creavit,  
gratis ad fidem vocauit, liberauit ex inferno, sanguine pretioso  
redemit, Sacrosanctis Sacramentis toties restaurauit, in cuius de-  
nique liberali beneplacito stat, et perennis nostra beatitudo, et  
quidquid in hoc mundo boni aut habemus, aut sperare possumus.

Proinde cum remedia non operantur, neque pharmaca pro-  
funt, morbo artem medicam eludente; medicis nequaquam succen-  
seamus, nec de illis conqueramur, sed credamus potius hanc esse  
Dei voluntatem, cui nos plene subiicientes, omnem fiduciam in

eo colloquemus ceu nostri amantissimo Medico, qui solus omnem infirmitatem sanare potest; etenim, vt ait Sapiens: „neque herba, neque melagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia;” omnes etiam medicorum errores, incuriam omnem, et negligentias feruorum, qui nobis assistunt, persuadeamus nobis aliud non esse, quam totidem effectus, et complementa voluntatis Dei, qui exemplo Tobiae, simo hirundinum oculis orbati id ipsum nos docuit: „vt posteris, inquit Sacer textus, daretur exemplum patientia eius, sicut et Sancti Job;” quare et Angelus dixit ei: „Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.”

Bonam duntaxat conscientiam procuremus habere, et nihil graviter feremus; ipsi etiam dolores mirum quantum per ipsam mitigantur; hinc S. Bern: „lectulus, ait, resperlus floribus bona conscientia; premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa secura est.” De seruulo narrat S. Gregorius, eum fuisse Romae medicum, paralyticum, contractum, vt non potuerit seipsum mouere; moriturum tamen cum stupore totius urbis prae nimia laetitia instar cygni cantasse; scilicet sicut prava conscientia sufficit, vt hominem caetera felicem miserum faciat, sic bona e contrario miserrimum etiam reddit beatum; haec est nimirum, vt asserit Plutarchus, herba illa nepeta, ab Homero tantopere celebrata, quae omnino taedium, et tristitiam ex animo fugare, dissipareque potest; milie licet mortibus oblideatur, viuet tamen idcirco laeta, siue secura, vt adeo S. Bernardus applaudat ei dicens: „quid in terra quietius, et securius bona conscientia, quae et ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur.” nulium porro bonae conscientiae luctulentius indicium, quam dum mors imminet, conformare se diuinae voluntati, cum hilaritate expectando eam, vt veniat; sicut ex aduerso perturbari tunc, maerere, impatientem esse; malae, aut non adeo bonae conscientiae est argumentum.

Itaque infirmus hac conformitate, velut impenetrabili quodam clypeo moneat se, oportet vt omnes infernalis aduersarii impetus facilis negotio frangere possit illud Dauidis saepius repetendo: „Educ de custodia, id est de carcere animam meam; exempla etiam promptae resignationis sibi ob oculos ponat, quae sancti ad imitationem nostram non semel praebuerunt; Sancta Geltrudis virgo cum Christus ei comparuisset, dextraque sanitatem tenens, et sinistra in-

firmitatem, optionem illi fecisset, vt alterutram eligeret, e vestigio respondit: Domine, quod ego totis viribus desidero, tua voluntas est, et non mea; quidcunque disposueris de me, quod ad maiorem tuam gloriam redundet, id noueris meam vnicam, sinceramque esse voluntatem; S. Clara viginti octo annos grauissimis conflictata infirmitatibus, morti vicina, cum ob dolores confortaretur, reposuit, nullam exinde molestiam se vnam persensisse; eodem modo semper se gesit S. Liduina virgo, quae et ipsa triginta octo annis, atrocissimos dolores perpesta, rarum heroicæ patientiae exemplum ad posteros transmisit; S. Catharina Senensis autem, cum aliquando in magna afflictione sua vidisset Christum, dissimiles corollas præ manibus habentem, vnam ex spinis contextam, aliam vero gemmis pretiosis fulgentem; audissetque Dominum dicentem: Catharina, elige, quod tibi placet, aut spinas, aut gemmas; vt vel in hac vita gemmis coronata incedas, et in altera spinis; vel modo spinis, et tunc gemmis: continuo reposuit: Domine fiat in me tua Sanctissima voluntas; spinas certe hic desidero, et spinas acerbissimæ passionis tuae, vt olim vna tecum rutilantibus gemmis perpetuo in coelis coronari valeam: hocque dicto cum alacritate accepit spineam coronam, alteque capiti imprellit.

## C A P V T . X V .

## De dispositione infirmi ad confessionem.

**S**atis deprorari non potest perniciousus ille abusus, qui viget hodie inter Christianos, fraude diabolica sine dubio introductus, vt scilicet credator tantundem esse, dicere infirmo, vt confiteatur, ac si de illius salute conclamatum iam esset, morsque certa per hoc illi annunciaretur; erronea hac persuasione domestici utplurimum laborant, plerumque etiam Medici, qui ne terreatur aeger, si nunt eum sine prævia necessaria dispositione cum maximo tam ipsorum, quam aegri damno ex hoc mundo discedere; salutem corporis praepostere pluris aestimantes, quam animae; vbi tamen secundum S. Joh: Chrys: ob lucra etiam corporis animae cura illi anteponenda foret; nam,, si animam, inquit, negligamus, nec corpus salvare poterimus,,; proinde hac in re diligenter vigilandum est medicis, vt memores officii sui, adamussem obseruent regulam ipsis

¶ S. Pontifice Pio V. praescriptam, vetantem nimis saepius, quam certo numero, adire infirmum, nisi ille principio aegritudinis suae peccata per sacram confessionem expiauerit; pia hac consuetudine omnem terroris causam, et occasionem de medio tollendam: opportunè etiam adinoneantur consanguinei, vt notum aliquem cui infirmus confidat, ad eum accersant, qui pro prudentia, et dexteritate sua Sacramentum confessionis suauiter insinuet; puta proponendo infirmo: saepius a Deo propter peccata mitti infirmitates, adeoque confessionem securum aduersus illas esse remedium, sublata enim causa, tolli effectum; auscultandum esse consilio Salomonis, qui dicit: „Fili, in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse te curabit.”; hac ratione certius, et facilius a Deo impetrandas esse gratas quae desiderantur; peccatorum enim orationes plerumque non exaudiri a Domino; animae curam potiorem esse habendam, quam corporis, imitando centurionem illum euangelicum, Sororesque Lazari, de quibus notum est illum in infirmitate serui, has vero fratris primum suum recursum ad Christum, ceu coelestem Medicum fecisse; ipsum etiam Christum hanc infirmos curandi methodum tenuisse, vt prius nempe, quam morbum tolleret, peccatum tamquam illius radicem stirpitus eradicaret; ita cum Paralytico se gesit. „Confide fili; remittuntur tibi peccata tua; surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.”: ita etiam cum decem leprosis: „Ostendite vos Sacerdotibus; et factum est, vt dum irent, mundati sint.”; dolores enim corporis cum suam originem plerumque trahant ab animae vitiis, his remotis, illi etiam remoueantur oportet; hoc euenisce Equiti illi Burgundioni, qui, vt refert Cantipratensis, insanibili quadam infirmitate implicitus, tantis in vanum omnibus medicorum remediis, tum derepente conualuit, quando peracta confessione Sacramtalem abolitionem recepit; hoc idem contigisse Ammoni, Patri Samsonis eremicolae, qui, teste Bellouacense, vtvt iam moribundus, et animam agens, virtute confessionis sanus, et incolumis cum admiratione omnium lecto se proripuit; Confessionem pro quiete etiam conscientiae lubenter esse faciendam; peccatis enim inquinatam in poena se per esse, misereque torqueri: „Conscientia rea semper est in poena, ait S. Joh: Chris: et S. Greg: nulla est, inquit, maior afflictio, quam conscientia delictorum.

Esse proprium Confessionis, placare Deum, et ex inimico amicum nobis reddere; animam peccatis exonerare. dolores lenire, qui mem-

membra nostra discruciant, quamcunque vehementem passionem sedare, mordacem conscientiae vermem sopire, daemones exarma-re, confusioneque plenos in fugam agere, ipsam denique Omnipotentiam Dei; iuxta phrasim S. Cyrilli; incantare confessio est, ita ait, magia quaedam „ Iudicem flectens, et furorem eius sedans „; sic bonum Latronem, sic Dauidem Regem, per confessionem peccatorum obtinuisse Regna coelorum.

Tametsi porro remissionem peccatorum semper consequi valamus, animaque donec corpori est vnta, capax sit meriti, aut demeriti; quia tamen Sacri Doctores communiter illam in dubio ponunt, si videlicet confessio ad extremum usque differatur; animae salutem non esse temere sorti committendam, sed audiendum potius consilium Spiritus Sancti monentis: „ Ne tardes conuersti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira eius, et in tempore vindictae disperdet te „.

Procrastinationem, rem esse longe periculosisimam, cum incertum sit, vtrum extrema illa hora, quando mille remorsus conscientiam dilacerant, vocationi diuinae responsurisimus, necne prudenter certe nos dubitare posse, an ob gravitatem infirmitatis, qua premimur, curarumque multitudinem, qua in varias partes tuuc distrahimur, ad poenitendum simus futuri idonei; idque non propter defectum gratiae, quae semper prompta est; sed ob liberum nostrum arbitrium, quod enervatum cum sit, ac nimis debilitatum, non potest congrue se disponere ad recipiendam iustificationis formam; eum fere in modum, quo praeparata ab archiatro medicina, quantumlibet sit excellens, ob indispositionem tamen subiecti frustratur effectu; quum enim ad rectam confessionem opus sit sereno intellectu; hunc, quum in capite tamquam praecipua sua sede functiones suas exerceat, a densis cerebri vaporibus multum obfuscari; sicut etiam ad efficaciam doloris cum profunda requiratur veritatum fidei meditatio, hanc itidem a tumultuantibus passionibus vehementer impediri.

Diligenter expendendam esse doctrinam S. Aug: qui ait: „ Deum conuersioni indulgentiam promisso; sed dilationi diem crastinum non promisso; formidandos tot infelicium peccatorum, causis, qui quum minime cogitarent, repentina morte sunt extinti; quorum complures, dum de die in diem confessionem suam protelarent, aut graui catarro, aut delirio, aut alio funesto malo de-

repente correpti, sine poenitentia ex hac vita discesserunt, iuctus-  
so sane tam animae, quam plerumque etiam existimationis pro-  
priae detimento; considerandas infirmitates, ut totidem Dei vo-  
ces, nos paterne adhortantis, ut post tam obstinatum vitiorum  
bellum, quo hactenus contra illum impie pugnauimus, tandem a-  
liquando cederemus, eiusque misericordiae, quae nos saluos face-  
re vult, victas daremus manus; „Haec est (nempe infirmitas) le-  
gatio Dei vere potens, vere sufficiens,“ inquit S. Bonav: huic  
proinde legationi, huic vocationi Dei per promptam poenitenti-  
am non respondere, tantundem esse, atque grauissimam illius indignatio-  
rem contra nosmetipos accendere, dicente S. Greg: „Punitio-  
ne graui dignus est, qui saepe Dei gratias contempsit.“

Reminiscendum infirmos illos, qui sum in probaticam pisci-  
nam ingressum ad Angeli usque abitum distulerunt, a suis languo-  
ribus nequaquam fuisse liberatos; Deum partibus suis nunquam de-  
futurum, atque adeo, si perierimus, nostrae id desidiae esse impu-  
tandum; fatuas virgines idcirco a nuptiis sponsi exclusas, quod  
oleo lampades suas, cum possent, tempestive non instruxerint? Ser-  
no euangelico propterea ademptum esse talentum, quod illud, per  
negligentiam sepelierit, quum tamen exemplo conseruorum, et ipse  
eo negotiari debuisset; vinitoribus ablatam vineam, quod eam,  
dum diligenter excolere oportuisset, ob segnitiem siluescere passi-  
fint.

Atrocem iniuriam Deo irrogari, cum gratiae eius a nobis con-  
temnuntur; Eum opotest omnis violentiae hostem ad nos non in-  
gredi, nisi ponte admissum; proindeque aeternae damnationis eui-  
dens periculum incurri, si, cum vi intrare nolit, voluntarie eum  
recipere neglexerimus affirmante Aug: „Negligentes Deus deserere  
confuerit.“ Neque Patremfamilias, de quo in Euangilio, binis  
vicibus semel iam inuitatos vocasse; neque Christum Apostolos;  
si quod hodie non facimus, cras perinde facere possemus, Christum  
non fuisse nos tantopere hortaturum, ut vigilemus, „vigilate, in-  
quit, nescitis, quando tempus sit;“ certe tempus istud non esse  
semper sibi aequale; „a mane usque ad vesperam immutabitur tem-  
pus,“ inquit Ecclesiasticus.

Deum impertiri gratias suas, quando ipsi lubet, et non, quan-  
do nobis: „ordine suo, non nostro virtus Spiritus Sancti mini-  
stratur,“ inquit S. Cypri: unde ingrato animo spernere gratiam,

aut inspirationem illius, non esse aliud, quam potentem Eius iram in nos prouocare; Multitudine peccatorum nequaquam nos a confessione absterreri debere, quasi nulla amplius veniae (pes esset; Deum enim tam esse benignum, et misericordem, ut impensisimo etiam, et Sacrilego peccatori, dummodo sincere convertatur, confiteaturque, illico condonet omnia peccata; Niniuitas dolorosa delictorum suorum accusatione, quasi adhibita quadam vi flagellum iracundiae Dei manibus extortissem; „Mutavit Deus sententiam, quia vidit opera commutata;” inquit Hiero: Novit enim Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.,, Meminisse oportere, Deum esse pium illum Samaritanum, qui a Latronibus crudeliter fauciatum, indata misericordia motus, benigne curauerit; Pastorem illum sollicitum, qui relictis nonaginta nouem ouibus abit per montes, et vales quae siturus centesimam, quae perierat, eamque a dentibus luporum rapacium per amanter vindicaturus; anxiam illam Matronam, quae ad inuenientiam deperditam gemmam, omnes domus angulos diligenter excusserit, repertaque ea, totam familiam ad congratulandum sibi conuocauerit; talem denique esse nostrum Deum, qui studio lucrifici peccatores, omnes sapientiae suae artes exercuerit, expandendo doctrinae retia, modo ad fontem Sichar, ut caperet Samarianos, modo in portico Salomonis, ut Sacerdotes; modo ad mare Tiberiadis, ut Piscatores; nunc in Pharisaeorum coniunctis, ut peccatrices; nunc in monte Caluariae, ut Latrones, et Centuriones irretiret; colloquendo cum diuine iuene de opibus, cum discipulis de piscatu, cum turba famelica de cibo coelesti, cum Samaritana de aqua viua in vitam aeternam saliente.

Voluntate duntaxat, sed efficaci opus esse, vt ex peccatore iusti efficiamur, dicente S. Joh: Chrys: „velle sufficit, et omnia correcta sunt.,, gratiam enim Dei ad ostium cordis nostri semper adesse, vt nobis subueniat; actu itaque generoso voluntatis rumpenda esse omnia vincula, vindicandamque animam in libertatem filiorum Dei; poenitentiam veram nunquam fuisse seram; ex aduerso Chrysostomi esse monitum: „Nasci ex dilatatione periculum; quousque, inquit, salutem nostram ipsi despicimus, ac perdimus; magnam profecto esse, et non ferendam insaniam, despondere animos, cum tamen gratia Dei corroborati, facile coelestes thesauros, aeternamque gloriam lucrifacere possumus; non minorem esse recordiam, vt prauos vitiorum habitus per sacram confessio-

nem non deponas, vltimo fini imperpetuum renunciare velle; propter nihil perdere totum; pro vna hora in confessione dolorose non transacta, sempiternis inferni tormentis excrucianum se se tradere; Deum, dum amanter vocat, non auditum, in vanum postea supplicari, dum iudicat.

## C A P V T XVI.

## De dispositione infirmi ad Communionem, et Extremam Vnctionem.

Post confessionem iam peractam, praeparandus est infirmus ad digne recipiendam Sacram Communionem, proponendo illi cum perspicuitate, quantopere prospicit animae hoc Sacramentum, quod teste S. Johan: Damasceno, idcirco Communio dicitur, quia „per hoc communicamus Christo, participantes eius carni, et Deitati,; Corpus nimurum, Diuinitatem, merita, virtutes, aliquosque thesauros, qui Christi sunt proprii, communes quasi fieri inter eum, et animam, quae congrua cum dispositione hoc Sacramentum suscipit.

Deum in constituendo hoc Sacramento omnes diuitias gratiae, Omnipotentiae, Sapientiae, et Bonitatis suae immensa cum liberalitate effudisse. „prout Aug. cum stupore exclamat: Deus, inquit, quum sit Omnipotens, plus dare non potuit, quum sit Sapientissimus, plus dare nescit, quum sit ditissimus, plus dare non habuit.,, Proinde Sacramenti huius virtute posse cum facilitate quadruplex illud debitum expungi, quo unusquisque nostrum Deo obstringitur, vt docet S. Bero: debitum quidem creationis per corpus, et animam Christi; debitum Redemptionis per diuinum eius sanguinem; debitum culpae, per merita infinita Passionis, in hoc Sacramento nobis communicata; debitum denique gloriae, per diuinitatem eiusdem Christi, sub speciebus panis, et vini velatam:

Hoc Sacramento obtineri nouam quandam, et coelestem vitam, in qua Deum habeamus pro Patre, Christum pro Fratre, Coelum pro Patria, Angelos pro conuictoribus, gloriam aeternam pro haereditate; placari diuinam iustitiam, reconciliari misericordiam, aquiri gratiam, remitti poenam, promitti gloriam,

con-

confirmari animam; vt adeo hoc Eucharistiae Sacramentum, teste S. Laurentio Justiniano, „notissimum sit aeternae felicitatis indicium, ac diuinæ miserationis praesagium certum.,,

Non debere itaque nos negare Deo, quod ille nobis haud negavit, „*disce a Christo*, inquit S. Bern: *quemadmodum diligas Christum*,; si ille totum se nobis tam liberaliter communicauit, par esse, vt nos quoque Deum in communionem nostri admittamus, transcribendo illi cor, corpus, et animam nostram, eaque omnia fideliter exequendo, quae diuinæ suæ Maiestati tam in vita, quam in morte de nobis decernere placuerit; rogandum interea esse diuinum Saluatorem, vt digne eum recipiendi gratiam, impertiri nobis dignetur, participes faciendo nos dolorosæ Passionis suæ, et mortis, in cuius gratam memoriam liceat frui augustissimo hoc Sacramento.

Antequam tamen illo fruamur, ad sumendum coelestem hunc panem praemittendam esse congruam præparationem, quae in eo consistat, vt cunctis terrenis cogitationibus procul abactis, auulisque ex animo omnibus prauis affectibus, quam maximam poterimus, animae nostrae munditiem, et nitorem conciliemus; profundam item humilitatem, et reuerentiam erga tantum, talenque Dominum, cum vehementi desiderio, omnique aliarum virtutum, ac perfectionum splendido comitatu; Regem enim gloriae in eam, tamquam Palatium suum ingressurum, cuius diuini oculi, ne aliquid in nobis offendant, quod displiceat, vtique sollicite esse cauendum, sensuumque portas serio custodiendas. Undem hunc gloriae Dominum ardeati cum desiderio cordis, ac iubilo expectandum, indignos semper reputando nosmetipso tam insigni pretiosoque favore; actibus viuae fidei inuitandam esse totam coelestem Curiam ad excipiendum, adorandumque una nobiscum tantæ Maiestatis Monarcham, Pastores Sanctos, tresque Reges Magos in cultu, et adoratione imitandos, nec non cum humili Centurione prosternendo nos in terram dicendum: „*Domine non sum dignus*,, &c. Postquam ope, sanctæ huius præparationis, Dominus in plenam animæ nostræ possessionem venerit, nihil amplius a furiosis inferorum assultibus metuendum remanere; ipsos Sanctos hoc vnioco scuto in superando inferno vsos fuisse; vim omnem diaboli virtute Sacramentorum, ac praecipue Eucharistiae facile infringi. porro

Ad triumphandum adhuc gloriosius de omni tartarea potestate, etiam extremaeunctionis Sacramento muniri nos debere; illud enim non solum ad resistendum diaboli tentationibus vires animae augere, sed saepius etiam aegrum in pristinam corporis valetudinem (si id animae saluti expedit) restituere; esse siquidem Sacramentorum proprium, praeter delictorum veniam, gratiae etiam conferre augmentum, idque tam ex recipientis deuotione, quam vero ex virtute, et efficacia passionis Christi, indeque proficiente Sacramenti virtute visitatum etiam extremae unctionis effectum esse, internam quandam consolationem animae; eneruationem hostis infernalis, et restitutionem, ut dixi, corporalis sanitatis; prout S. Philippo Neri contigisse legimus, qui post deuotam Sacrae Communionis, Extremaeque unctionis susceptionem ex mortali infirmitate miraculose conualuit; sed et Concilium Tridentinum de hoc Sacramento tantundem affirmare, „interdum, inquit, sanitatem corporis consequitur, ubi saluti animae expedierit„; sicuti iam prius Coloniense declarauerat his verbis: „Extrema unctione adhibetur, ut conualeat aegrotus, si Deo ita visum fuerit„; si autem non conualeceret, id certe vi Sacramenti huius obtineri, ut longe facilis dolores infirmatis tolerentur, teste eodem Concilio Trid: „Infirmus subleuatur, et morbi incommoda, et labores lenius fert„; ad imminentem praeterea decretoriam luctam, quam cum diabolo discessuri ex hoc mundo habebimus, per hoc habiliiores nos, fortioresque redi, dicente S. Aug: „quando vnxit, luctatores fecit, confirmanteque id ipsum iam toties laudato Concil: Trid: „Tentationibus daemonis, inquit, calcaneo insidiantis facilis resistit„,

Vincendum itaque vanum illum, ac irrationalē timorem, quo plerique Christianorum correpti, quam longissime possunt, producent Sacramentorum susceptionem, quasi ea vicinae mortis certa praesagia forent; quum tamen sint pignora vitae potius; si enim Christi vestimenta omnia morborum, etiam grauissimorum genera solo duntaxat contactu curabant; quanto magis diuinum Eiusdem corpus, in interiora nostra receptum, ad profligāndā quaecunque malā vim suam exerturum? praeclare S. Cirillus Hierosol: „Sacramentum, inquit, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit, aegrotos curat, collisos redintegrat„; Hinc S. Greg: Nazian: narrare, Patrem suum grauiter decubentem, suscepto Eucharistiae Sacramento derepente ex integro conualuisse.

Proinde non esse de die in diem differendum, sed dum sensus sunt adhuc vegeti, tempestine, promptaque voluntate suscipienda Sacra menta, ne secus magno nostro damno misere illis priueniatur; plerumque mortem praeuenire spem aegroti, aut medici opinionem, quoniam in infirmitatibus repentina saepe symptomata superuenire soleant, puta deliria, lethargi, anginae, apoplexiae, aliqua eiusmodi, quae impediunt, et suffocando aegrotum omnem adimunt copiam Sacra menta suscipiendi.

## C A P V T XVII.

### De consolatione moribundi.

**M**agno profecto terrore percellitur aeger, ita ut ab ipso etiam desperationis periculo parum absit, dum vna ex parte video se tot diabolice temptationibus impugnari, ex alia vero cogitat se tam multis onustum peccatis iam iam sistendum esse coram tremendo tribunali diuini Judicis. Proinde ad sedandum, temperandumque nimium hunc moribundi tremorem, praeterquam quod magnopere conserunt preces piorum, ac praesertim Sacerdotum, qui idcirco hora illa periculosa diligenter accersendi sunt, ut suis feruidis orationibus omnes diaboli machinas destructum perga nt; vnde et Innocentius: „Diabolus, inquit, extremae vitae nostrae suis laqueis inuertere nititur, sed si in exitu piis Fratrum precibus, seduisiis psalmodie officiis muniamur, longe ille repellitur, nec audet se „Numinis castris ingerere, vbi Nomen Domini per ora canentium audit feliciter personare„; sicut de Theodoro scribit Greg: „eum Monachorum assistentium precibus a fauibus draconis fuisse auulsum„; praeter preces ergo, et orationes piorum ad superandas diaboli insidias, horroremque iudicii minuendum nihil magis conducere, quam veram in diuina misericordia fiduciam, dum scilicet consideramus illam omnibus nostris peccatis infinite esse maiorem, eoque relucere splendidius, quo grauiora intuent, remittitque delicta; ipsa certe creatio, redemptio, et conseruatio, qua nos ex nihilo creatos, gratisque redemptos ad hanc usque diem tam multifariis gratiis Deus custodiu it, luculenter ostendunt, velle eum salutem nostram, cum praesertim licet antea millies in peccato mori, atque ita aeternum damnari potuisse mus, benigne tamen ab

eius-

eiusmodi infelici morte nos praeseruauerit, copiamque fecerit, vt in lecto, domi nostrae, inter cognatorum, amicorumue sincera officia diuinis Sacramentis muniremur; quo circa egregie S. Aug: „Per ea, inquit, quae cognoscis praetita, discas sperare promissa; miserationes Domini super omnia opera eius; hinc quum mater filiorum Zebedaei, peteret a Christo, vt vnum a dextris, alterum vero a sinistris in Regno suo collocaret; „Non est, ait, meum dare vobis; sed quomodo? quaerit S. Ambros: „si omnia dedit ei Pater in manus? nempe respondet S. Pater: si dixisset se dare posse, neque tamen velle, minus se misericordem ostendisset, quod tamen facere noluit; „siluit, inquit, de iure, ne tolleret de misericordia. Sane potentiam suam parcendo et miserando manifestat, dum paratus plus parcere ac peccare possimus. Vnde S. Hiero: commentans illa Christi verba ad Petrum: „Non dico tibi septies, sed vsque septuagesies septies; dicit haec verba intelligenda esse, vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non possit; igitur „Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius conuertentibus ad se! illa est reuera velut immensum quoddam mare, quo omnia menguntur crimina; velut inexhaustus quidam thesaurus, quo omnia soluantur debita; velut vniuersale quoddam medicamentum, quo omnia sanantur morborum genera; Hinc apud Ezech: per semetipsum iurat, „Vnu ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, et viuat; in quae verba rursus Hiero: „idcirco, inquit, iurare se dicit, vt si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro nostra salute iuranti. „Haec scilicet est illa exuberans misericordia, quae etiam a se fugientes, sollicite quaerit, benefacit sui non curantibus, amplectiturque contemptores; „Tota die, ait per Isaiam, expandi manus meas ad populum incredulum, et contra dicentem; „expandi manus meas, velut dulcissimus Pater filium suum in sinum recipere, peramanterque strin gere cupiens, sicut iterum iubiungit Hiero: cui concinens S. Bern: „quis non stupeat, inquit, charitatem Dei spreti, et reuocantis; „amplecti quaerit, prosequitur S. Greg: a quibus desertum se esse quaeritur! Quodsi tam bonus, tamque benignus est Dominus cum peccatoribus; „Nemo igitur, vt concludamus cum eodem S. Greg: tantae miseriaordiae tempus perdat; nemo oblata remedia diuinae pietatis abiiciat.

Magnam praeterea consolationem adferre debet moribundo Passio, crux, et sanguis Domini nostri IESV Christi, cuius una dun;

duntaxat guttula iuxta communem Theologorum infiniti valoris  
 quum sit, infinitos, si extarent, mundos a peccatis expiare pos-  
 set, adeo quidem, ut magnitudo satisfactionis omnium offendarum  
 etiam possibilium gravitatem sine fine excedat, „Deus, qui iusti-  
 ficit, quis est, qui condemnet? Christus IESVS, qui mortuus  
 „est, imo qui et resurexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam  
 „interpellat pro nobis; „erit scilicet nobis in mortis hora crux,  
 et sanguis Redemptoris, quod fuit in excidio Jericho taenia illa  
 coccinea mulieri Raab; quae dum cutes reliqui sine discrimine tru-  
 cidarentur, per illam e fenestra suspensam a furore militari libe-  
 rata est: significans, teste S. Paulino, „illos mundo labente te-  
 „gendas, quos crucis iniuctae signat crux; hinc cape, inquit,  
 „quantum ipse crux valeat, cuius saluabat imago; „S. autem  
 „Ambro: ait in hunc locum: quae in excidio, ciuitatis remedia  
 „desperat salutis, vexilla dominicae Passionis coccum in fenestra  
 „ligavit, ut species crucis mystici, quae foret mundum redem-  
 „ptura, vernaret; „; reponendam proinde omnem ipsam nostram  
 in IESV crucifixo, et in Sacrosanctis eius vulneribus, e quibus  
 ceu totidem diuinis fontibus flumina scaturiunt supernarum bene-  
 dictiorum; „quid tam ad mortem, quod non Christi morte sal-  
 vetur? crux Christi nimurum est mirificum illud lignum, quod  
 in aquas fontium Mara a Moyse inieatum, ingratum earum sa-  
 porem sublata amaritudine cogredit; ut pie meditatur idem Am-  
 bros: „qui porro etiam addit; crucifixum esse Dei filium, ut in  
 illa cruce nostrae carnis tentamenta morerentur; „; procul pro-  
 fecto mortis terrores inde fugantur, ubi crucifixi adest conspectus;  
 „Ibi, inquit Aug: „te a morte sempiterna sanauit, ubi tempo-  
 raliter mori dignatus est; „; qualis mors, quae mortem occidit?  
 vnde Elias etiam, dum ab impio Rege Achab ad necem quaere-  
 retur, sub umbram iuniperi se recepit, quae crucis erat Symbo-  
 lum; confudit, ut Rupertus Abbas exponit, ad viuificum crucis  
 lignum; illic ambit mortem; illic festinat commori Christo; est  
 enim crucis proprium, mortem reddere amabilem, quae per se  
 horrenda est, atque terribilis; idcirco afferit S. Anastasius: „Ho-  
 mo secundum naturam mortem expauescit; is tamen, quod sum-  
 ,mopere admirandum est, ubi iudicatus est fidem crucis, naturam  
 „vilipendit, et mortem non exhorrescit; „; minime nempe est  
 timendum, quando ipse Christi pretiosissimus sanguis animos sub-  
 dit, „quid benignius? exclamat S. Cypria: „visitatur sanguine  
 Chri.

, Christi, qui effudit sanguinem Christi,; magna sit licet infirmitas, fortior tamen est medicina, et si de infirmis conclamatum iam esse videtur; medicum meminerimus esse Omnipotentem; vnde S. Aug: „securi, ait, estote, qui aegrotatis, talis Medicus venit, „magnitudinem mali tui tu attendis, omnipotentiam Medici non „attendis,; tu desperatus es, sed ille omnipotens est. Hinc Venerabilis Seruus Dei, Camillus de Lellis, Fundator meus, cum ad mortis confinia esset perductus, imaginem crucifixi languine vnde que manantis viuacissimis coloribus depingendam, curauit, vt hoc scilicet salutari aspectu in spem salutis magis, magisue adsurgeret, atque confirmaretur. Porro

Post crucem, et Passionem Christi magno solatio esse debet moribundo patrocinium, et protectio Beatae Virginis Mariae; haec enim est Refugium peccatorum, vt vniuersa testatur Ecclesia; spes desperantium, destitutorum vnicarum aduocata; vt adfirmsat S. Ephrem; Aduocata obtinens contra diabolum in causa desperatissima, vt S. Antoninus; Aduocata totius generis humani, vt S. Bonaventura; Templum Domini, Sacramentum Spiritus Sancti, vt alii SS. Patres; Refugium perditorum, vt Dionisius Chartusi: denique sol, qui oritur super bonos, et malos, vt eam adpella S. Bernardus, est Tribunal iustitiae; bono Latroni, teste Epiphanio: „Maria Paradisum aperuit, ac per latronem rursus Adamum complantauit,; denique, vt ait S. Bern: Magna Dei Mater, seruorum suorum animas e corporibus exeuntes protegit ab incursu aërearum potestatum, quibus est terribilis vt castrorum acies ordinata; fugiunt enim, qui oderunt nos, a facie eius,; proinde Author est omnibus, et consultit dicens: „si criminum immanitate turbatus, conscientiae faeditate confusus, iudicii horrore perterritus barathro, incipias absorberi tristitiae, et desperationis abyssu; cogita Mariam, in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca. ,

Sanctorum quoque intercessio non parum proficit in consolacionem moribundi, vt enim ait S. Greg: Nazian: „Tanto magis proficiunt nobis precibus, quanto sunt Deo propinquiores,; hi nempe adfissent Tribunal Dei, tamquam aduocati causam nostram perorantes, „Adiunt defensores nostri Sancti Martyres, vt Greg: Pa., et „pro nobis orare non cessant, vt nulla tentatione supere- mur, velut S. adfirmsat Leo, infinita sunt exempla, quae docent Sanctos sua apud Deum intercessione moribundis solatio, et auxi-

lio fuisse. Sed neque de Angelorum efficaci ope, atque succursu si-  
 lendum est nobis: teste enim Dionisio: „Angeli Sancti in hora tam  
 „extremae, et summae necessitatis non minus solliciti sunt ad sub-  
 „ueniendum, quam angeli tenebrarum ad seduceendum“; Arnul-  
 phus, authore Trithemio, pridie, quem moreretur, horribili ter-  
 rae motu ter sensit concuti cellam suam, quam dum circumstantes  
 vehementer metuerent in momenta collapsuram, magna gestientis  
 animi consolatione vidi cum agminibus Angelorum comparentem  
 S. Michaelem Archangelum, qui fugato inimico promisit, inseque  
 recepit, eum manibus suis in beatam Patriam esse deportandum;  
 scilicet in agone mortis, quando, (vt meditatur S. Antoninus)  
 „est tribulatio infirmitatis, tenebrae in oculis, dissolutio membro-  
 „rum, angustiae mortis, et caligo persequens, id est timor gehen-  
 „nae, vel praesentia diaboli animam egressuram rapere machinan-  
 „tis,“ ad dissipanda haec cuncta, ac praesertim tartareas potestates  
 peramanter mittit Deus S. Michaelem, et „Spiritu oris sui inter-  
 „ficit impium, id est, vt exponit S. Thomas, per Michaelem Ar-  
 „changelum, qui Spiritus oris Dei dicitur“; ideo quondam in  
 hunc modum orabat Sophronius: „Michael obsecro, vt e vitae  
 „huius curriculo exituro laetus, pacatusque appareas; bilancem-  
 „que, quam prauis meis moribus perdite grauauit, dextera sub  
 „leues, eademque exorare studeas; bonorum meorum loco immen-  
 „sam misericordiam propone; etenim iuxta Pantaleonem diaco-  
 „num: Michael est, qui consolatur pusillanimes, aegrotos visitat,  
 „fideiubet pro peccatoribus..“ Profecto quum secundum concor-  
 dem Saerorum Doctorum, citatique Pantaleonis expositionem,  
 Michael fuerit, qui honorem Dei aduersum Luciferum tuitus sit;  
 qui haebraeum populum a captiuitate Babilonica libraverit; qui  
 manum Abrahae, ne filium Isaac feriret, detinuerit; qui Bala-  
 num, ne populo electo malediceret, deterruerit; qui Josue ad  
 vincendos inimicos animauerit; qui Gedeon, vt de Madianitis cum  
 tercentis militibus triumpharet, adiuvauerit; qui, vt Ezechiam a  
 Sennacherib viudicaret, 185. millia Assiriorum vna nocte interne-  
 cione deleuerit; qui Danielem in lacu leonum fame languentem  
 pauerit; qui tres pueros in fornace Babiloniae ab ardentibus flam-  
 mis custodierit; et qui aquas probaticae piscinae ad salutem in-  
 firmorum quotannis commouerit; haec, inquam, profecto Oraculi  
 Danielis seculos nos facere possunt, qui dicit: „In tempore illo,  
 „id est hora mortis, consurget Michael Princeps Magnus, qui stat

„pro filiis populi: profligatoque hoste infernali, e decretoria pugna, victores nos exire faciet; sic protexit IESV Sacerdotem Summum, cum in iudicio particulari ut legis transgressor accusaretur: „Et Satan stabat a dextris IESV, ut aduersaretur ei,; sic defendit S. Arnolphum, Episcopum Suectionensem, tartareis cateruis vnde in fugam coniectis, speque certa ducendi eum in gloriam iniecta; sic S. Sisinandum, per amice inuitando eum in Paradisi Patriam beatam: „veni electe Dei, et intra in gaudium Domini tui; sic S. Antonium, in agone mortis liberando eum a calumniis Satanae; sic S. Valfridum, Archi-Episcopum Eboracensem, quem post euolutum quadriennium immortalis vitae certorem fecit; sic S. Malglorium, cui, referentibus Surio, et Tritemio, Angelus tradidit tamquam brevi morituro viaticum,; sic in horto Oliueti ipsum patientem Christum contra vicinam ignominiosissimam mortem ad palmas, et victorias corroborauit; „Angelus Domini, inquit S. Bonauen: „Princeps militiae coelestis exercitus, adstitit confortans eum; denique, dicit S. Anselmus: „cum iustus in extremis agit, Angelus sui custos cum multitudine Angelorum, et animam Sponsam Christi de carcere corporis tollit, et cum maximo dulcissimae melodiae cantu, et immenso lumine, ac suauissimo odore ad coeleste perducit palatum in Spiritualem Paradisum.,,

Vltimo loco non paruam consolationem moribundus haurire potest ex hac consideratione, quod nempe Deus essentia infinitus, vita immortalis, sensu impassibilis, intellectu incomprehensibilis, bonitate Summus, ideoque summe diffusius, non contentus, ut ita dixerim, se ad intra communicasse Filio, et unum cum hoc Spiritui Sancto, voluerit etiam, ut creaturae in eius venient communionem; et posteaquam coelos creavit, dando illis, ut essent; plantas, ut viuerent; animalia, ut sentirent; Angelos, ut intelligerent, hominem ad imaginem, et similitudinem suam creauerit, donando illi simul, et ut esset, et ut viueret, et ut festiret, et ut intelligeret; specimina praebens Omnipotentiae quidem, in creatione uniuersi ex nihilo; Sapientiae autem, in constitudo tam concinno ordine, quo unamquamque creaturam tam belle dispositus; Bonitatis vero in communicacione sui Totius facta homini secundum naturam Boni, quod est suimetipius diffusuum: Insuper quod hic Deus licet iam per creationem fuerit intime nobis communicatus, per Redemptionem tamen voluerit excellentiori quo-

quodam modo sese nobiscum participare; in quo certe infinita eius in hominem charitas emituit. Nam ubi bonitatem suam inefabilis beneficio incarnationis satis superque declarare potuisset, elevando humanam naturam ad dignitatem diuinam per unionem hypostaticam; misericordiam autem, clementer condonando omnem reatum tam culpe, quam paenae aeternae; inflammatus feruentissimo erga nos amore, licet pro omnibus offenditis etiam grauiissimis de toto rigore iustitiae unica lacrymula, aut sudoris, sanguinisque guttula copiosam satisfactionem nostri loco irritatae diuinae iustitiae praestare quinisset; tradidit tamen totum se, honorem, sanguinem, et vitam sacrificando pro nobis, toto corpore crudelissime laceratus, et suffixus in cruce, ut totum hominem vindique a peccato vulneratum plene, integreque sanaret; et ideo en pro superbia capitum nostri, illum spinis coronatum; pro vanitate cogitationum, euulsi capillis crude vexatum; pro licentia oculorum, velatum, pro impudentia frontis, liuidum; pro curiositate aurium, ad maledictiones, et blasphemias surdum; pro gulositate, acetu, et felle potatum; pro iniustitia manuum, volas clavis perforatas; pro pedum pigritia in bonum, et velocitate in malum, pedibus in cruce confixum; pro luxuria carnis, flagellis dilaceratum; pro ira, et liuore, qui in corde fouetur, immancimane transuerberatum; haec autem cuncta: „ut destruatur corpus peccati„; vnde S. Greg: Nazian: „idcirco inquit, lignum aduersus lignum, manus aduersus manum extentam, sublimitas aduersus lapsum, fel aduersus gustum, spinea corona aduersus peruersum imperium, mors aduersus mortem„; atque ita posse tamquam hac stupenda ratione immenso suo amori Deus satisficeret, ut in finem usque hunc amorem ostenderet, in augustissimo Eucharistiae Sacramento totum compendiauit, ut scilicet per summationem hostiae consecratae posset homo identificari cum Christo, factus fortunatus possessor, et humanitatis, et divinitatis, et gratiae, et gloriae, et meritorum, satisfactionumque ipsius, quin vel una guttula remaneret Christo, quae in premium humanae salutis non fuisset sparsa: „Omnia cum illa nobis donauit.. Jam vero Deus tam bonus, tam benignus, tam liberalis, ut etiam de crucifixorum suorum salute sese sollicitum exhibuerit, clamans moribundus in cruce: sitio: prout Cardinalis Godefridus tituli S. Priscae exponit: „populi, inquit, se interficiens sitiebat salutem„; quid, amabo, nobis negare poterit, quibus tanta cum liberalitate Totum se dono dedit?

quale peccatum nobis non dimitte, qui et iamicorum peccata tam  
 misericorditer dimisit? quomodo vita nō nobis impetrari recusabit,  
 qui tanto amore mortem nostram in se assumpsit? „ si mors Chri-  
 sti pro nobis facta est, quanto magis eius vita pro nobis est? a-  
 iebat S. Aug: JESVS ergo crucifixus sit vera moribundi consolatio;  
 sit ancora spei eius in mari agonis procelloso; aduersum iram of-  
 fensi Numinis sit forte scutum; et refugium unicum in saeuientis  
 inferni persecutionibus: „ Miserere mei Domine, miserere mei: quo-  
 niam in Te confidit anima mea; „ si dolores nos cruciant, pla-  
 gas intueamur crucifixi dicentes cum S. Bonav: Nolo, Domine, si-  
 ne plagi viuere, quum te totum pro me videam plagatum. S. Elea-  
 zarum imitemur, qui in infirmitate acerbissimis doloribus quum con-  
 flictaretur, pro eorum lenimento dolorosam Passionis Christi histo-  
 riā sibi praelegi curabat; haec certe historia medelam adfert im-  
 patientiae nostrae, prauos animi motus coeret, et inducit unionem  
 cum Deo; nunc etiam, ut pie discurrit S. Bern: Passio Christi  
 salutari Dei timore tremefacit terram peccatorum; paenitudine dis-  
 fecat saxeā eorum corda, aperit sepulchra conscientiarum per sin-  
 ceram confessionem; peccatis mortuos resuscitat ad vitam gratiae,  
 velum discindit Templi, dum ad visionem beatificam per IESVM  
 crucifixum reddimur idonei; et ut adfirmat S. Laurentius Justinia-  
 ni: „ Diuinae miserationis reseratur abysmus, coelorum aperitur ia-  
 sua, charitatis latitudo ostenditur, et quantus sit homo, aptissi-  
 me demonstratur; vile enim esse non potest, quod Filii Dei san-  
 guine comparatur; „ O quam praeiens, et exquisitum remedium est  
 infirmis deuotus crucifixi adspectus, ut dum, languet corpus, ne et a-  
 nima in virtutibus languescat! profecto ad sustinendos patienter in-  
 firmitatis dolores, nihil ita suppeditat vires, atque Sacro sancta vul-  
 nera Christi; Beata Hosanna de Cataro amare quiritando de suis  
 afflictionibus, vedit demum IESVM profundis plagiis cruentatum,  
 qui posteaquam peramahter illi exprobrasset, quod in tantas quere-  
 las effunderetur, et non potius consideraret suos dolores, quos eius  
 amore in ligno crucis ipse pertulisset; ita derepente confirmata est,  
 ut deinceps omni quaerenti de statu suo nihil responderet, nisi:  
 O qualia tormenta, qualesue dolores Christus pro me sustinuit in  
 cruce! ita etiam S. Pius V. Pontifex Maximus, cum acutissimis  
 doloribus vexaretur, conuersus ad crucifixum, quem ad lecti spon-  
 dam habebat, plenus affectu aiebat: „ Domine! adauge dolorem!  
 dum adauges et patientiam; „ infirmitas enim, teste Venerab:  
 Beda,

Beda, si patienter sustineatur, erit quasi purgatorius ignis.,, Narrat Plinius in Regione Parthorum magni pretii gemmam reperi, quae sit aduersus varia morborum genera praesentissimum antidotum; eam tamen „, alibi non inueniri, quam in loco fulmine visto „, In manibus scilicet Christi, in quas fulmen diuinæ iustitiae cecidit, preciosi hyacinthi plagarum inueniuntur: „, Manus eius plenae hyacinthis „, his sanantur morbi nostri spirituales; tollitur culpae venenum ceu antidoto quodam; res deperditæ rursus inueniuntur, si- cut gratia, et amicitia Dei peccatis amissa; animus exhilaratur, adquiritque vires, aerumnas, et calamitates aequanimiter tolerandi; vnde dicebat Petrus Blesensis: „, stat martyr affictus quidem, sed inuictus; vidensque sanguinem suum ex diversis corporis partibus „, ebullire, non sua, sed Redemptoris vulnera attendit „, ego vero subiungo cum S. Bern: „, Non fentit sua, dum illius vulnera intuetur „, in cuius confirmationem S. Methildis, dum quadam die ve- neris profundius meditaretur Passionem Christi, vedit illum super altari expansis, cruentisque brachiis, quorum omnes plagae pretiosissi- mis refulgerent gemmis; audiuitque dicentem: quemadmodum gem- mae magna vi sunt praeditae, ita vulnera mea omnes animae ae- gritudines curant, producuntque effectus sine villa comparatione ma-iores, quam cuncti totius terrae hyacinthi. Consilium igitur sequan- mur S. Bernardi, qui ait: Nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat, hic tibi sit cibus, et potus, et dulcedo, et consolatio tua, mel tuum, et desiderium, lotio tua, et meditatio tua, oratio tua, via, vita, mors, et resurrectio tua.

### Oratio illius qui vocatur ad aegrotum.

Domine Jesu, qui me indignum seruum tuum inter te, et hunc famulum tuum medium esse voluisti, licet in me bo- ni operis testimonium non agnoscas, officium tamen cre- ditae dispensationis non recuses, ne per me salutis illius pereat pretium, pro quo victima factus salutaris copio- sum sanguinem effudisti, qui viuis et regnas in soecula foeculorum. Amen.